1553

Ex libris Valentini Hryczyna

IVLII OBSEQVENTIS PRODIGIORVM LIBER,

*

ab Vrbe condita usq; ad Augustum Cæsarem, cuius tantum extabat Fragmentum, nunc demum Historiarum beneficio, per CONRADVM LYCOSTENEM *Rubeaquensem, integritati suæ restitutus.*

Polydori Vergilij Vrbinatis de Prodigijs libri III.

Ioachimi Camerarij Paberg. de Ostentis libri II.

Ex [illegible]

QVOD TIBI
FIERI NON
VIS. ALTERI
NE FECERIS.

LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
ET GVIL. GAZEIVM.
M. D. LIII.

P.P. Ertard Camald in Insula Vegrensi

AD INSIGNEM PIETATE AC ERVDITIONE virum, Dominum Augustinum Bacgur, Conradi Lycosthenis Rubeaquensis, in Iulium Obsequentem

✱

PRAEFATIO.

QVANTA *veterum Romanorum in rebus gerendis fuerit religio, cùm infinitis exemplis, quæ historiarum lectio nobis suppeditat, tum ex eo maximè liquet, quòd domi foris've nihil egerint, nisi Augures, quos deorum internuntios interpretesq; vocabant, prius consuluissent, quorum tanta erat dignitas, vt non modò in senatum ascriberentur, sed singulis quoq; tribubus singuli præficerentur. Illorum munus erat, ex auibus vaticinia obseruare, deorum monita contemplari, de prodigijs, somnijs, oraculis, portentis, extisq; non tantum diuinitus reuelata*

responsa dare, sed quibus etiam sacris ac supplicationibus, item ad quæ puluinaria deorum in reipublicæ Romanæ salutem expiarentur, enuntiare. Hinc multa statim auspiciorum genera nata sunt, quarum quædam ex cœlo, auibus, tripudijs, quadrupedibus: quædam ex diris, ac à natura planè abhorrentibus obseruata: alia item Caduca, cùm in templo per augures metato, aliquid excidisset: pleraq; Cliuia, quæ videlicet difficulter eueniebant, dicta sunt. Ideoq; si lapidibus pluisset, nouendiali semper sacro expiatum est, autore Liuio: si verò cœlestes minæ, terrorésve, aut tetra nuntiarentur prodigia, vel si terribiles species, aut quid nouum vel inopinatum oblatum esset, piacularibus sacrificijs factis, ad placandas deorum iras, vel feriæ indicebantur, aut lectisternia, nonnunquam etiam ludorum celebritates, Pontificum decreto procurabantur. Fiebant autem supplicationes cum solenni precatione, Vrbe tota, circa omnia templa, fanaq;, & puluinaria, in quibus honos dijs dabatur, Senatores & Patricij cum vxoribus ac liberis plerunq; coronati, nonnunquam omnes tribus & ordines, præeunte Pontifice Maximo, aliquando Duumuiris, præcedentibus pueris, libertinis, ac virginibus patrimis & matrimis, prælata pompa frequentes

tes supplicare, & pacem deorum immortalium exposcere solebant. Fuit sanè magna hæc coniuncta cæcitate religio. Religio quidem, quòd non dubitarint diuinum quoddam numen esse, quo cuncta gubernarentur, & cuius beneficio virtutum amatores remunerarentur aliquo præmio, contemptores verò afficerentur supplicio: ob quam causam iratos sibi deos timuerunt, sacrificijsq; placare magno studio conati sunt. Cæcitas verò, quòd cùm veri & omnipotentis Dei cognitionem nullam habuerint, eiusdem tamen consilia, sathanæ (quem eo tempore sub Apollinis, Ideæ, aliorumq; deorum specie colebant) responsis explorare, atq; imminentem delictis pœnam religione ab hominibus conficta, mitigare, atq; penitus effugere se [illegible] persuaserint: quorum tamen cæcitati facil[illegible] niam dabis, si verbo Dei planè eo tem[illegible] batos fuisse intellexeris, sine cu[illegible] ne in perpetuis ignorantiæ nebulis [illegible] Est enim quasi sydus quoddam lucidum in tenebris, monstrans veræ pietatis viam, & quo mentes hominum vera Dei cognitione illustrantur, nouamq; lucem fidei concipiunt, ac iuxta illud tanquam Cynosuram, omnem vitæ cursum dirigere discunt, iuxta illud Psalmographi: Lucerna pedibus meis verbum tuum. &

 alibi:

alibi: Dirige me in verbo & veritate tua. Nec *fieri sanè vllo modo potest, quin homines hac luce verbi destituti, ruant in grauißimas tenebras, atq; à vera pietatis via longè aberrent. Quid igitur credis* Romanos, *quibus ipsa natura, fæcunda rerum mater, tantos pietatis igniculos insculpsit, facturos fuisse, si diuini verbi lucerna illuxisset?* Fateberis *nimirum, vt virtutibus varijs & rerum gestarum gloria cæteras quæ sub terrarum orbe nationes sunt, vicerunt, sic etiam religionis veræ studio posteros suos, qui* Christianam *religionem nomine potius quàm facto profitentur, multis parasangis præcursuros fuisse. quod ita maximè deprehendere licet, si vitæ actiones ac pietatis Zelum, collatione quadam cum priscis illis* Romanis *probè examina-*

Apparuerunt enim hominum memoria in- [illegible] *horrenda prodigia, quibus* Deus *iustus* [illegible]*m mundo minatus est: & quæ* [illegible]*uma sapientia patris, sub finem mundi ventura prædixit,* Lucæ 21. E[illegible]*nt signa in* Sole, Luna *& stellis, in terris erit anxietas gentium, per desperationem, resonante mari & fluctibus, extabescentibus hominibus præ timore, atq; expectatione eorum quæ superuenient orbi terrarum, &c.* Hæc *si vnquam in mundo visa sunt, certè paucis hinc elapsis, annis, satis superq;*

superq; conspeximus, cùm nunc tres, nunc quatuor eclipses in vnum annum inciderunt, & stellæ crinitæ, lampades ardentes, faces de cœlo decidentes, ac alia cœlestia prodigia non defuerint: quæ etiamsi naturaliter à Philosophis fieri dicantur, habent tamen suas etiam supernaturales causas, quibus agit dux naturæ Deus, refragantibus nostris rationibus. qualia etiam sunt, quæ anno præterito apud Puteolanos magno omnium horrore acciderunt: quorum regio biennio ferè magnis terræmotibus adeò agitata est, vt nulla in ea superesset domus integra, nullum ædificium, quod non certam & proximam ruinam minaretur. At verò quinto & quarto Calend. Octobr. perpetuis diebus noctibusq; terra commota est, mare paßibus ferè CC. recesśit: quo quidem loco aquæ dulces prosilire visæ sunt. tertio demum Calend. magnus terræ tractus, qui inter radices montis, quem Barbarum incolæ appellant, & mare iuxta Auernum iacet, sese erigere videbatur: & montis subitò nascentis figuram imitari. quo die iste terræ cumulus, aperto veluti ore magno cum fremitu, magnos ignes euomuit, pumicesq;, lapides, cinerisq; fœdi tantam copiam, vt quæ adhuc extabant Puteolorum ædificia operuerit, arbores fregerit, pendentemq; vindemiam ad sextum vsq;

lapidem in cineres conuerterit, aues, quadrupedes bestias interemerit, fugientibus per tenebras Puteolanis cum natis & vxoribus, & magno gemitu eiulatuq; Neapolim sese recipientibus. Non dicam hoc loco de inundationibus, quæ ante paucos annos vrbem Romanam penè submerserunt: Adriatici maris motus inauditos, quibus aliquot hominum millia perierunt: transeo & Vesuuium montem, qui noua eruptione, quæ Anno à natiuitate Christi M. D. XXXVIII. facta, in loco plano magnum terræ hiatum aperuit, atq; per circuitum ingentem molem in modum montis altißimi coaceruauit: quemadmodum & Aetna, Anno M. D. XXXVII. qui nouis fractis crateribus, non tantum colles omnes, nemora, saxa, rupes, & pagos duos in cinerem conuertit: sed totam etiam Siciliam, & Calabriæ partem, magno omnium stupore ac pernicie crudeliter infestauit. Omitto alia horrenda prodigia, miracula atq; portenta, quæ elapsis iam aliquot annis in diuersis regionibus, & in Germania præsertim, visa atq; audita sunt: quibus flagitijs nostris iratus Deus, vltionem atq; vindictam minatus est. Sed frustra, proh dolor. adeò enim in mundi huius ingluuie ac cœno immersi sumus, tanta impietas mentes hominum inuasit, ita

luxus,

luxus, libido, atq; alia horrenda inter Christianos creuerunt flagitia, ita abundauit omnis iniquitas atq; peruersitas, vt nullus horum omnium vel pudor, vel metus reliquus sit. Vnde fieri nequaquam potest, vt errores perniciosiores, horribiliores cæcitates, blasphemiæq; obstinatiores futuræ sint, atq; hodie orbi imminere videmus. Necesse est igitur diuinam vltionem in opus prorumpere, seculo tam diro indies, quo non tantum intestinis odijs, perniciosis conspirationibus, seditionibus cruentis, atq; bellis plusquam ciuilibus (in quibus etiam Christianus in Christianum, pater in filium, filius in patrem, & in fratrem frater crudelis suum gladium vibrat) obruimur, sed varijs etiam atq; inauditis morbis, omnem medicinam respuentibus, inficimur: quibus accedit earum rerum quæ ad victum hominis necessariæ sunt, in tanta annorum vbertate tam dira egestas, vt quàm plurimi in diuersis locis sola victus penuria moriantur miserè. Vbiuis terrarum veræ religioni, regnis atq; imperijs grauißima imminent pericula, omnes Respublicæ minantur ruinam atq; interitum: adeoq; nulla fides pietasq; vsquam est, vt homines quasi rabie quadam capti, in propriam perniciem coniurasse videantur. Sed promeruit has pœnas iamdu-

dum impœnitentia nostra, qui sub nominis Christiani prætextu, aspernati omnes diuinas admonitiones, non Deo, sed mundo & proprijs voluptatibus seruiuimus hactenus: nec dubium est, quin grauiora multa in hac mundi catastrophe sequutura sint, (vt nihil de æternæ damnationis vindicta dicam) nisi in tempore sub potenti manu Dei, benignißimi patris, nos humiliantes confeßione delictorum, vera pœnitentia, contritione atq; innouatione vitæ sanctæ, numen nobis iratum placauerimus.

IVLII *autem Obsequentis Prodigiorum librum, cuius fragmentum tantum extabat, eo libentius hoc tempore edere volui, vt gentilium prodigia cum his quæ nostro tempore diuinitus eduntur, conferrentur: & expenderetur deinde ex rerum euentu, horrenda illa signa semper aliquid imminentium malorum hominibus portendisse, quo aliorum tandem exemplo moniti, euitandorum periculorum rationes eo diligentius iniremus. Restitui autem libellum quantum fieri potuit, Titi Liuij, Dionysij Halicarnassei, Orosij, Eutropij, atq; aliorum quorundam probatißimorum autorum auxilio, ita vt nihil planè deesse videatur: adijciens quinquaginta prioribus capitibus, ea quæ ab Vrbe condita vsq; ad L. Scipionis cum C.*

Lælio consulatum, hactenus desiderata sunt. vnde & ea ipsa capita (quemadmodum omnia quæ in sequentibus mea industria adiecta sunt) asterisco * notare placuit. Annos etiam ab Vrbe condita maioribus literis in margine signare volui, vt in promptu esset, quo tempore prodigia vniuscuiusq; capitis siue audita, siue visa essent. Quòd si præterea annos ante Christi saluatoris aduentum scire delectat, in eodem margine cifris (vt vocant) minoribus à me adnotatos intelliges. Hoc autem quicquid est studij mei ac laboris, vir pietate simul ac eruditione clarißime, tibi dicare ideo visum est, quòd à prima infantia me literarum tyronem semper vnicè amaueris, atq; multa humanitatis & beneuolentiæ officia mihi exhibueris: quibus nunc etiam, cùm patriam (quæ mei studij ac diligentiæ aliquam partem debito iure sibi vendicat) frequento, multis nominibus me cumulare soles: vt sic meæ etiam in te gratitudinis, ac obseruantiæ pignus perpetuò extaret. Cui si meam operam, quam in resarciendo, emendando, atq; restituendo hoc libello impendi, gratam fuisse perspexero, animum addes, vt prodigiorum Chronicon, quod à condito mundo vsq; ad nostra tempora conscripsi, maturius absoluam. Vale: & me, quem à primis vnguie

vnguiculis sanctè amasti, porrò eodem studio amplectere. Basileæ, *pridie Idus Martij: Anno à Christi saluatoris gratioso aduentu,*

M. D. L I I.

AD D. CONRADVM LYcosthenem, Leuini Cotmanni Gandaui Carmen Sapphicum.

*

QVIS canat dignè fidibus canoris,
Quas tibi laudes meritò fatemur
Debitas? Orpheus fuerit peritus
Non satis aptus.
Mouit Amphion lapides canendo,
Atq; testudo benè culta Maiæ
Paruit nato: Iouis hinc superbit
Filius ipse.
Lesbius quondam potuit Arion
Belluas blanda prece quò volebat
Ducere, vt terra veniens cupita
Linqueret æquor.
Sed leui cantu tibi quis paretur
Nominis splendor melior per orbem,
Quàm satis scriptis peperisse quiuis
Occinit auri?
Quòd prius, magna hic mutilus libellus
Parte, nunc totus poterit per ora
Docta multorum volitare comptus,
Te duce scriptor?
Iure te laudent Zephyrum colentes
Vltimum, Eous populus frequentet

Canti

Cantica, vt lætus pretium rependat
Officiosè: at
Mentis interpres Deus ipse, summus
Syderum Princeps, residens Olympo,
Reddat, hîc duplo meliora dignè
Quàm exprimat vllus.
Quare contentus bone cultor artis
Sedulæ, & vitæ decus omne nostræ,
Grata sint, puro mea scripta quæ nunc
Fonte profecta.

LIBER AD LECTOREM, per eundem.

Lucis inops, mutilumq; iacẽs in puluere corpus,
Ah, dolui quoties hæc mea fata miser?
Viscera quod tacito sensim pereuntia morsu,
Blatta frequens, tineis associata, necet.
Nec tamen experiar sub iniquo pondere quassas
Qui reparet vires, aut mala tanta leuet.
Tempore quæ lõgo tulerim sine teste, peremptus
Iam ferè, dum patiens in mea damna ruar.
Donec inopinæ mater, Medicina, salutis,
Augustum roseo tincta rubore caput:
Accelerans visa est paucis monuisse, dolendi
Nulla quòd in toto corpore causa mihi.
Quodq; licet varijs fuerim languoribus actus
Antè diu, grata nunc vice nacta quies.

Præcip

Præcipiens solito melior patientia, tandem
  Fulciret miseris membra peresa modis.
Vix ea sic paucis mihi sunt audita, solutum
  Quicquid erat diris morsibus, ecce coit.
Demirans factum, stupeo: totusq; repentè
  Respirans, stabili conditione leuor.
His contenta minus præsenti numine Diua,
  Viscera cedrino sparsa liquore fouet.
Quod, cur sic faceret, timido licet ore rogassem,
  Pauca refert, certa me ratione mouens.
Atq; docet blanda (qualis est Dea) voce loquuta,
  Fracta prius quæ sint, constituenda sibi.
Ast ea dispersis fuerant quæ partibus olim,
  Arte studet mira composuisse tibi:
Non ego, sed cultus, doctusq; Lycosthenes ille,
  Quem iuuat aßiduũ, dum modò prosit, opus.
Quare age me seqtor, nec sit tibi caussa morãdi,
  Forma placẽs membris, si modò iũcta semel.
Sic Dea deduxit: capio quæ dicta: recedo
  Pulchrior: hîc formæ est copia facta meæ.
Si placeo, fruere: & certè si cœperis vti
  Me socio, fructum, qui fluet inde, feres.
Ne've petas, qui sim, reparatis viribus, hospes,
  Sordidus angusto qui lare septus eram:
Curq̃; nitor toto succreuit corpore tantus,
  Aut maneat cur non, qui fuit antè, color.
Si lubet, accipies arrectis auribus, æqua
  Mente ferens, facilis dum tibi caussa datur.

Cur

Cur melior noſtris ſucceßit copia rebus,
Auctaq; ſit gemina commoditate ſalus.
Harum prima fluit diuinis fontibus orta,
Vnde venit quicquid Iuppiter axe tegit.
Dum tamen interea meliore Lycoſthenes arte
Præditus, humanæ ſit mihi quæſtor opis.
Altera cui meritò fuerit mihi danda, priori
Non minor, impenſus quod docet ipſe labor.

FINIS.

CATALOGVS REGVM, CONSulum, ac tribunorum Romanorum, sub quib. hæc prodigia visa sunt. in quo illud admonendus es, non secundum prænomina (quæ vt corrupta sunt, ita sæpenumero etiam multis sunt communia) posita esse: sed præponi ea nomina, quæ ab vsu frequentiori, huic vel illi maximè propria facta sunt: Titus enim, & Pub. Sempronij, in Sẽpronio quærendi sunt, non in T. vel Pub. &c.

barb

L.Pi

FINIS.

IN IVLII OBSEQVENTIS Prodigiorum libellum Index, in quo numerus non paginam, sed caput indicat.

*

Arma-

C

Exta

L

Terra

V

FINIS.

IVLII OBSEQVENTIS Prodigiorum libellus, à Conrado Lycosthene suæ integritati Historiarum beneficio restitutus.

*

Romulo regnante. 1

* Anno ab. Vrbe cōd. XIIII. Ante natum Christum 737

PARENS conditorq; vrbis Romulus, cùm iam Fidenas oppidum cepisset, coloniamq; Romanorum fecisset, guttæ sanguinis è cælo magna omnium admiratione ceciderunt. Statim pestis vrbem inuasit, quæ hominibus absq; vlla ægrotatione mortem inferret subitam: sterilitas quoq; agrorum & frumētorum omnium præcipuè tamen annonæ summa inopia sequuta est. in quæ mala postea quam Laurentes incidissent, omnino visum est, Tatij & legatorum cæde violato iure gentium, vtriq; ciuitati iram numinis expiandam esse. Quare deditis cædis autoribus, & ab vtrisq; supplicio affectis, ab ijs malis manifestè se receperunt. Romulus expiationibus ciuitates

expurgauit, quas longo deinceps tempore ad portam Ferentinam obseruatas, memoriæ tra-
XXXVIII. *ditum est. Verùm editis iam immortalibus*
713. *operibus, cùm ad Capream paludem concionem ad milites haberet, subita coorta tempestas cum magno fragore, tonitribusq;, tam denso regem operuit nimbo, vt conspectum eius concioni abstulerit, nec deinceps vnquam in terris apparuerit. Romani autem milites à Iulio Proculo edocti, ad Deos regem raptum esse, diuinos statim illi honores exhibuerunt.*

Numa Pompilio regnante. 2

* *ANnum iam octauũ regnante Numa, mor-*
XXXXVI. *bus pestifer Italiam occupans, Romam*
705 *quoq; inuasit: mœrentibus verò cunctis, peltam æneam è cœlo in Numæ manus decidisse, memoriæ proditum est: quæ in vrbis salutem à superis missa credebatur. ad cuius figurã cum Numæ instinctu vndecim à Veturio Mamurio insigni artifice fabricatæ essent, Salij Martis sacerdotes ad earum custodiam à rege instituti sunt.*

Tullo Hostilio regnante. 3

* *IN monte Albano lapidibus pluit. quod cùm*
CIX. *credi vix posset, missis ad id visendum prodi-*
642 *gium, in cõspectu haud aliter, quàm cùm grandinem venti glomeratam in terras agũt, crebri*

cecidere

cecidere de cœlo lapides. Vox ex ſummi cacuminis luco audita eſt, quæ monebat, vt patrio ritu ſacra Albani facerēt. Nouendiale igitur ſacrum publicè ſuſceptũ eſt, & ſolenne manſit, vt quandocunq; idem prodigium nuntiaretur, feriæ per nouem dies agerētur. Haud ita multo pòſt graui peſtilentia laboratum eſt. Hoſtilius dum Numam ſacrificijs imitatur, Ioui litare non potuit, ſed fulmine ictus, cum regia conflagrauit.

Anco Martio regnante. 4

LVcumo Græci Demarathi filius, ac Aruntis frater, generoſus adoleſcens, cùm parente apud Tarquinios defuncto, diuenditis bonis omnibus Romam migraret, Ianiculoq; iam appropinquaret, in carpento cum vxore ſedenti, aquila è ſublimi dimiſſa, pileum ſuſtulit: atq; mox ſuper carpentum cum magno clangore volitans, rurſus velut miniſterio diuinitus miſſa, capiti aptè repoſuit. quo viſo, Tanaquil augurioriorum perita, eo prodigio regnum ei portendi intellexit. Pecunia igitur & induſtria dignitatem, atq; etiam Anci regis familiaritatem conſecutus, atq; ab eodem tutor liberis relictus, dum Tarquinij Priſci nomen ſibi vendicaret, poſt Anci mortem regnum intercepit, atq; ita adminiſtrauit, quaſi iure adeptus fuiſſet. * CXXVI 625

Tarquinio Prisco regnante. 5

CLVI. 595 * *FInito bello Sabino, cum Tarquinius Priscus in monte Tarpeio ædem Iouis, quam in eodem bello vouerat, ædificare vellet, & iam exaugurare fana sacellaq; alia iuberet, vt libera à cæteris religionibus area esset, iamq; omnium sacellorum exaugurationes admitterent aues, in Termini tãtum fano nequaquã addixere. quod prodigium, firma, stabiliaq; cuncta portendere Romanis visum est. Secutum est & aliud prodigium, magnitudinem imperij portẽdens. Nam posteaquam futuri ædificij fundamẽta aperiret, caput hominis integra facie, recenti tamen tabo & sanguine aspersum, in imo repertum est. Cuius prodigij gratia aruspices interrogati, responderunt, hunc locum non imperij tantum Romani, sed totius etiam mundi caput fore.*

Seruio Tullio regnante. 6

CXCIX. 552 * *BOs in Sabinis, Androno Coratio Latino, mirãda magnitudine ac specie nata est: cuius gratia cùm Aruspices interrogarentur, responsum est, eum populum summam imperij habiturum, qui prius bouem illam immolasset. Latinus igitur bouem in Auentinum egit, & causam sacerdoti Romano exposuit. Ille verò astutus, dixit prius eum viuo flumine manus purgare debere. at Latinus dum ad Tyberis profluenta*

fluenta descendit, Romanus illo absente bouem immolauit: & sic imperium ciuibus, sibi verò gloriam facto consilioq́; vindicauit.

Tarquinio Superbo regnante. 7

TArquinius cùm iam Signiam, Circeiosq́; colonos misisset, præsidia vrbi terra mariq́; futura, prodigium horribile visum est. Anguis enim ex columna lignea elapsus, non tantum terrorem fugamq́; in regia fecit, sed ipsius etiam regis animum subito pauore perculit, anxijsq́; curis vniuersos impleuit. aquilæ etiã quæ regiæ incumbebant, nidum fecerunt, in quo pulli subito vulturũ incursu discerpti sunt: quod mali imminentis prodigium esse putabant. Mox cum Rutulis bellatum, Ardea obsessa: & post nefandum Tarquinij cũ Lucretia facinus, reges sunt exacti. Tarquinius autem dum Gabios, tanquam in regnum suum proficisceretur, canis & serpens etiam verbis expreßis sunt locutæ.

* CCXLII. 509

CCXLIIII 507

L. Iunio Bruto, L. Tarquinio Collatino, Coss. 8

SIlentio noctis, ex sylua Arsia, ingens vox audita est, quæ Syluani credita est fuisse. proclamauit autem, in acie Romanorum contra Veientes, vno plus Hetruscorum cecidisse, & vicisse bello Romanum.

* CCXLV. 506

P.Posthumio Tuberto II. Agrippa Menenio Lanato, Coss. 9

* *HAstæ militares ad multam noctem in*
CCLI. *cælo ardentes visæ. Sequuta est tertia Sa*
500 *binorum in Romanorum agros irruptio, qua Posthumius consul magnam accepit ex sua indiligentia cladem: quam eius collega nisi mox vindicasset, malè de repub. Romana actũ esset. Duæ Romanorũ coloniæ, Pometia & Cora, ad Aruncos defecerunt, & cõtra Aruncos bellatũ.*

T.Ebutio, C.Vetusio, Coss. 10

* *AVlus Posthumius dictator, cùm contra*
CCLV. *Latinos, qui in Romanos cõiurauerãt, ad*
496 *lacum Regillum pugnaret, ac victoria iam nutaret, duo iuuenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, pro Romanorum salute fortissimè dimicantes: quos dictator post victoriam quæsitos, vt dignis muneribus honoraret, nõ inuenit, Castorem & Pollucem ratus.*

M.Fabio Vibulano, L.Valerio Potito, Coss. 11

* *QVotidie cælestia prodigia in vrbe et agris*
CCLXXI. *visa sunt, minas ostentantia. Mox Op-*
480 *pia virgo Vestalis, quam tamen alij Popiniam,*
CCLXXII. *alij Popiliam vocant, incesti damnata, pœnas*
479 *dedit. Anno sequẽti, nõ segnior discordia domi,*

& bel

& bellum foris atrocius fuit: ab Aequis arma ſumpta, & Veientes in agros Romanorum incurſiones fecerunt.

M. Fabio II. Cn. Manlio Cincinato, Coss. 12

IN *bello cõtra Veientes, Manlij prætorium de cœlo tactum, laceratum fulmine tentorium, euerſus foculus, arma fœdata, ambuſta, ac in totum contrita: occiſus eximius equus, quo in prælijs uti conſueuerat. Interrogati igitur interpretes prodigiorum, reſponderunt, ſignificare caſtrorum oppugnationem, & clariſsimorum virorum interitũ. Cum Hetruſcis cruento prælio pugnatum. Q. Fabius, Marci frater, bis conſul, & tũc legatus, lancea per pectus ictus interijt. Manlius conſul in clade occubuit, & vallum Romanorum captum eſt.* * CCLXXIIII. 477

Q. Seruilio Priſco II. Sp. Poſthumio Lauinio Regillenſi, Coss. 13

COelum *ardere viſum, & annus tam hominus quàm pecori longè fuit peſtilentiſſimus. Aequi Antiatum ſuſcipientes exules, contra fœdera cum Romanis facta, excurſiones in Latinorum agros fecerunt. Cõtra quos anno ſequenti miſſus, Q. Fabius Vibulanus, qui prius pacem cum ijs fecerat, ſtrenuè pugnauit. Verùm cùm ſe ad Volſcos attraxiſſent, et fides Antiatiũ* * CCLXXVIII. 463 CCLXXXIX. 462

labora

laboraret, cum ingenti exercitu iterum in Romanorum agros populandi gratia ingreßi, à Posthumio victi atq; fugati sunt.

A. Posthumio Albino Regillensi, Sp. Furio Medullino Fusco, Coss. 14

* CCXC. 261 *COelum iterū ardere visum plurimo igni, portentaq́; alia aut obseruata oculis, aut vanas exterritis ostentauere species. quibus auertendis terroribus, in triduū feriæ indictæ: per quos omnia delubra, pacem Deûm exposcentium virorum, mulierumq́; turba implebātur. Bellum gestum est cum Aequis, contra quos Furius primùm parū fœliciter, Posthumius verò prosperè pugnauit. Antiates milites propter serū auxiliū, cū ignominia sunt dimißi. Anno verò sequenti, pestis crudelißima Romæ grassata est.*

T. Lucretio Tricipitino, T. Veturio Gemino, Coss. 15

* CCXCI. 460 *ITerum cœlum ardere visum, & bos locuta. Aequi omißis Latinis, Hernicisq́;, properatò itinere Romam properarunt, vt ob iuuentutis absentiam vrbem caperent. qui tamen à Lucretio mox circunuenti, ac magna strage fugati sunt. Volscorū agri à Veturio vastati sunt, quorum etiam nomen ferè eo anno deletum est.*

P. Vo

P. Volumnio Amentino, Seruio Sulpitio Camerino, Coss. 16

Terra ingenti motu concussa, bos locuta, *
& cœlum iterum ardere visum, cui rei CCXCIII.
priore anno fides nō fuerat data. variæ spectro- 458
rum facies, horrendæq; voces oculis & auribus hominū obuersatæ sunt. Carne pluit, quæ niuis instar è cœlo, frustis maioribus & minoribus demissa, ab omni genere auium interuolantium direpta, priusquàm terram attingeret: reliquū verò quod intercidit, in vrbe agrisq; sparsum iacuit multo tempore, nec colore mutato, nec odore, contra morem veterascentium carnium. Id vates indigenæ interpretari non potuerunt. Libri autem Sibyllini monuerunt, cauendum ab externo hoste, & ciuium seditionibus. Hoc autem anno lex Terētilla maximo conatu, de Decem viris creandis tentata est, maximæq; subortæ inter patricios & plebeios dissensiones. Pro-
ximo autem anno exules Romani ac serui nu- CCXCIIII
mero 4000. duce Appio Herdonio Sabino, Ca- 457
pitolium occuparunt, vnde non absq; magna ciuium strage sunt expulsi.

L. Minutio Carbeto, C. Nautio Rutilio, Coss. 17

Lupi in Capitolio visi, qui à canibus fuga- *
ti sunt. cuius prodigij causa totum Capi- CCXCVI.
tolium est lustratum. Aequi, quibus superiore 455
anno

anno pax data erat fracto fœdere, duce Graccho Chœlio Latinum agrum ac Tuſculanum populati, in Algido caſtra locarunt: contra quos L.Minutius profectus, infœliciter in caſtris obſeſſus, ac demum à Quintio Cincinato liberatus eſt. Aequi victi, ac ſub iugum miſsi ſunt.

L.Val.Potito, M.Valerio, M.Furio Ca
millo,&c.Trib.Mil.Con.Pot. 18

* LAcus in Albano nemore ſine vllis cœleſti-
CCCLVII. bus aquis, cauſa've alia, quæ rem mira-
395 culo eximeret, in altitudinem inſolitam creuit.
Cùm autem ab oraculo ſciſcitaretur, quid ea
res portenderet? reſponſum eſt, vt aquam eius
lacus emiſſam per agros diffunderent, ſic enim
Veios, quos acri ac diutino bello vexabant, in
poteſtatem populi Romani venturos. Quod vbi
factum eſt, hoſtium vrbe potiti ſunt. Tarqui-
CCCLVIII. nienſes noui hoſtes exorti, Romanorum agros,
quos multis ſimul bellis, Volſcorum ad Anxur,
394 Aequorũ ad Lauicos, & ad hoc Veienti quoq;,
Valiſco, Capenatiq; bello occupatos videbant,
depopulabantur: contra quos tamen Aulus
Poſthumius & L. Iulius voluntariorum ma-
nu profecti, turpiter fugarunt.

P.Licinio, L. Ticinio, P Menenio,
Cn. Genutio, Tribb.Mil. 19

VEijs iam post longam obsidionē expugna- *
tis, Cùm Romani milites in vrbis dire- CCCLIX.
ptione, Deorum etiam statuas Romam transfer 393
re conarentur, ac quidam, seu spiritu diuino ta-
ctus, seu iuuenili ioco ad statuam Iunonis di-
ceret, Vis'ne Romam ire Iuno? posteaquam ca-
pite annuisset, se libenter ituram, magna omniū
admiratione respōdit. Vnde Romam in Auenti
num æternam sedem suam ducta est, quò vota
dictatoris vocauerant, templumq; ei à Camil-
lo dedicatum est.

Q. Seruilio Hala, L. Genutio II. Coss. 20

ROmæ in medio foro, siue motu terræ, siue *
qua vi alia, terra specu vastissimo colla- CCCXC-
psa est, quā terræ voraginem nemo neq; terræ III.
coniectu, neq; vlla qua vis alia materia explere 359
potuit. Inficiebantur autē ex editis inde vapo-
ribus pestilentissimis, multorum hominum cor
pora: quæ cū remedia omnia respuerent, rebus
iam desperatis, Deorum monitu, Marci Curtij
strenui demum equitis animoso facinore libera-
ti sunt. Posteaquam enim se pro salute patriæ
in specum armatus præcipitasset, pestis statim
post multorum funera sedata est.

L. Furio Camillo, Appio Claudio Crasso, Coss. 21

* IN eo bello quod Romani, duce Camillo, con-
CCCCVI. tra Gallos gesserunt, Valerio tribuno militum
346 aduersus Gallum prouocatorẽ pugnanti, coruus
galeæ insedit: qui non tantum sedem semel ca-
ptam tenuit, sed quotiescunq; certamen initum
est, leuans sese alis, os oculosq́; hostis rostro &
vnguibus appetijt, donec territũ prodigio Gal-
lum, ac oculis simul & mente turbatum Vale-
rius obtruncasset.

C. Martio III. T. Manlio Tor-
quato II. Coss. 22

* CVm Iunoni Monetæ in eo vrbis loco, vbi
CCCCXI. Manlij domus fuit, ædes dedicaretur, pro-
341 digium extemplò dedicationem secutum, simile
vetusto montis Albani prodigio. lapidibus enim
pluit, & nox interdiu visa est intendi. Feriæ
proinde sunt indictæ, nec tantũ à Romanis tri-
bub. supplicatum, sed à finitimis etiam populis.
Iudicia eo anno populi in fœneratores facta,
CCCCXII. quibus est ab ædilibus dicta dies. Proximo verò
340 anno bellum cum Samnitibus ortum est, gente
tum opibus & armis validißima: quod bellum
mox aliud cum Pyrrho rege, & cum Pœnis gra
uißimum peperit.

Q. Fabio Maximo Rutiliano V.
P. Decio Mure IIII. Coss. 23

Terra

Terra de cælo pluit, & in exercitu Appij *
Claudij pleriq; fulminib. icti sunt. Infe- CCCCL-
stis eo anno armis cum Samnitibus pugnatum VIII.
est, Pestis mirum in modum per totam Italiã, 294
& in vrbe potissimùm, grassata est. Galli à Fabio victi, ac in fugam versi sunt. Fuluius in Hetruria fœliciter contra Thuscos pugnauit.

M. Curio Dentato II. L. Cornelio Lentulo, Coss. 24

Inter alia prodigia, fulmine est etiam deie- *
ctum Iouis in Capitolio signum, cuius caput CCCCLXX
per aruspices inuentum est. Pyrrhus contra Ro- VIII.
manos bellum suscepit, qui à Curio victus, & 274
Tarentum fugatus est. Mox Tarentini iterum CCCCLXX
noua aduersus Romanos arma mouerunt, Car- IX.
thaginiensium auxilia per legatos poscentes: 273
quos tamen iterum vicerunt Romani.

Q. Fabio Maximo Pictore, L. Quintio Gulone, Coss. 25

Obscœna prodigia, & dira Romæ visa *
sunt. ædes enim Salutis ictu fulminis disso CCCC-
luta, pars muri sub eodem loco de cælo tacta. LXXXIIII
lupi tres ante lucem ingressi vrbẽ, semesum ca- 268
dauer intulerunt: sparsumq; membratim in foro, ipsi strepitu hominum exterriti, reliquerũt. Apud Formias multis ictibus fulminum mœnia

vndiq; ambusta, & dissoluta sunt. apud agrum Calenum repentè flamma, scisso hiatu terræ eructa, tribus diebus & tribus noctibus exæstuãs, quinq; agri iugera, exhausto penitus succo hubertatis, in cinerem extorruit, ita vt non fruges solum, sed otiam arbores cum imis stipitibus absumpserit. Hoc anno Picentes noui hostes facti, Romana in se arma exciuere.

P. Sempronio Sopho, Appio Claudio Rufo, Coss. 26

* CCCC-XXXXV. 267 *SEmpronius consul cũ aduersus Picentes exercitum duxisset, & iam directè intra iactũ teli vtraq; acies consisteret, repentè cum horrendo fragore terra ita contremuit, vt stupore miraculi vtrunq; pauefactum agmen hebesceret. verùm mox in certamen progreßi, bellum adeò atrox fuit, vt meritò dicatur humanum tantorum hominum sanguinem suscepturã, etiã cum gemitu horrisono tunc terram tremuisse: in quo tamen prælio Romani, quorum pauci euaserant, vicerunt.*

M. Valerio Maximo, Q. Mamilio Vitulo, Coss. 27

* CCCCLX-XXVIII. 264 *INter multa alia prodigia, sanguis è terra, & lac de cælo manare visum est. nã & plurimis locis scaturiẽs è fontib⁹ cruor fluxit, et de nubibus*

bus guttatim in speciem pluuiæ lacte demisso, diri terram imbres irrigauerunt. Eo tempore Carthaginienses, dato aduersum Romanos auxilio Tarentinis, cùm à Senatu per legatos arguerentur, turpißimam rupti fœderis labem præsumptam, accumulauere periurio. Secutum est quoque libertinorum Volscienſium aduersus dominos conspirantium, nefandum scelus, qui tamen mox duce Fabio Gurgite pœnas dederunt. Pestilentia etiam crudelißima hoc anno vrbem inuasit.

L. Valerio Flacco, L. Octacilio
Crasso, Coss. 28 *

R*Omæ columna ante Iouis ædem, vi turbi-* CCCCXC-
nis est decussa, cum aureo signo. Quo viso, II.
ex aruspicum responso omnes magistratus se 260
primo quoq; die autoritate abdicarunt. Eo anno exercitus Romanorum ingens in Siciliam missus, multos ad defectionem compulit. Vastata est interea & Italiæ ora ab altera Carthaginienſium classe, cũ interim Africa ab omni hostili iniuria immunis esset

M. Attilio Regulo Serano II. Cn. *
Cornelio Bleso, Coss. 29 CCCCXC-

S*Erpens in Africa portentosæ magnitudinis* VI.
apparuit, quem Attilius Regulus, cum ma- 256

xima militum clade difficulter catapultis & balistis, veluti molem quandam expugnauit: qui cùm aliquoties iam aduersus Carthaginienses pugnasset, eo anno ab hostibus captus est. Huius autẽ serpẽtis exuuiæ centũ viginti pedũ lõgitudine fuisse feruntur, & eius maxillæ vsq; ad Numantinũ bellũ in publico pepẽdisse dicuntur.

C.Quintio Flaminio, P.Furio Philone, Coss. 30

IN *Piceno flumen sanguine effluxit, apud Thuscos cœlum ardere visum.*
DXXXI. *Arimini nocte multa*
221 *ta lux clara effulsit, tres lunæ distãtib. cœli regionibus exortæ. Magno terræmotu Caria & Rhodus insulæ adeò concussæ sunt, vt labentib. vulgò tectis, ingens quoq; colossus corruerit. Eodem anno Flaminius aduersus Gallos conflixit,*
DXXXII. *& vicit. Anno verò proximo Claudius Marcel*
220 *lus iterum profligauit, capto Viridomaro rege: & inter multa Insubrium, quos ad deditionem coëgerat oppida, Mediolanum quoq; vrbem florentißimam cœpit.*

Gn. Seruilio Gemino, C.Quintio Flaminio II. Coss. 31

*

DXXXVII ROmæ *in foro Olitorio infans semestris*
215 *triumphum exclamauit. in foro Boario*

bos

*bos in tertiam cõtignationem sua sponte ascen-
dit, atq; inde habitatorum tumultu territus, sese
deiecit. nauium species in cælo visæ. Spei tem-
plum in foro olitorio fulmine ictum, Lanuuij
hasta se commouit. coruus in ædem Iunonis de-
uolauit, atq; in ipso puluinario consedit. In agro
Amiternino multis locis hominum species procul
candida veste visæ. In Piceno lapidibus pluit, in
Sardinia in muro circumeunti vigilias equiti,
scipio quem manu tenebat, & in Sicilia aliquot
militibus spicula arserunt, litora crebris fulse-
runt ignibus: milites fulminibus icti, solis circu
lus minui visus est. Præneste ardentes lampa-
des de cælo ceciderunt. Arpis parma in cælo, lu-
na cum sole certare, & interdiu etiam duæ lu-
næ visæ. Cærete aquæ sanguine mixtæ fluxerũt,
fons Herculis sparsis hinc inde maculis cruentis
manauit. Ancij metentibus cruentæ in corbem
spicæ ceciderunt. Falerijs cælum findi visum, sor
tes sua sponte attenuatæ. Mauors telum suum
quassauit, signũ Martis in Appia via ad simu-
lacra luporum sudauit. Capuæ cælũ ardere vi-
sum, nauium species in cælo visæ. Spei templum
de cælo tactum, terra horrendo motu concussa
est, capræ lanatæ quibusdã factæ: gallina in ma-
rem, gallus verò in gallinã versus. Eodem anno
Hannibal Hetruriã inuasit, Romani ad Thra-
simenum lacum cruento prælio victi sunt.*

* C. Terentio Varrone, L. Aemylio Paulo II. Coss. 32

DXXXVIII. 214 *IN Auentino Romae, & Ariciae, simul lapidibus pluit, & multo cruore. ex frigidissimo fonte calidae aquae manarunt. in via Fornicata, quae ad templum erat, homines aliquot de coelo tacti, atq; exanimati. Secuta est memorabilis illa clades ad Cannas, Apuliae vicum, in qua Paulus Aemilius occisus est, & quadraginta millia peditum, cum duobus millibus equitum, et septingentis: & plusquam tria Romanorum millia capta. & Hannibal Campaniam occupauit.*

L. Posthumio albino III. P. Sempronio Graccho, Coss. 33

* DXXXIX. 213 *MAre arsit, ad Sinuessam bos equuleum peperit. signa Lanuuij Iunonis Sospitae cruore manauere, lapidibus circa id templum pluit: ob quem imbrem, nouendiale sacrum fuit, caeteraq; prodigia cum cura expiata. Eo anno in Gallijs Posthumius cum omni exercitu deletus est. bellum Macedonicum inchoatum, res in Hispania foeliciter à Romanis gestae. in Italia Cāpani caesi ad Cumas, Poeni in Lucania fusi ac fugati, caedes Poenorum quoq; ad Nolam facta est. Sardi à Manlio caesi.*

Q. Fabio Maximo verrucoso IIII. M. Claudio Marcello III. Coss. 34

LAnuuij in æde Iunonis Sospitæ, corui nidum fecerunt. in Apulia palma viridis arsit. Mantuæ stagnum effusum Mincio amni, cruentum visum. Calibus creta, & Romæ in foro Boario sanguine pluit. in vico Istrico fons sub terra, tanta vi aquarum fluxit, vt serias doliaq́;, quæ in eo loco erant, prouoluta, velut impetus torrentis tulerit. Tacta de cælo, atrium publicum in Capitolio, templum in campo Vulcani: nux in Sabinis, publicaq́; via: murus ac porta Gabijs. Hasta Martis Præneste sua sponte mota: bos in Sicilia locutus infans in vtero matris in Marrucinis Io triumphe clamauit, ex muliere Spoleti vir factus. Hadriæ ara in cælo, speciesq́; hominum circa eam candida veste visæ. quin & Romæ quoque in ipsa vrbe secundum apum examen in foro visum. legiones armatæ in Ianiculo visæ etiam, quæ tamen mox cùm ad arma concursum est, euanuerunt. Eodem anno Hannibal, magna militum copia ad Nolam profectus est: à cuius expugnatione à Marcello prohibitus, magnam suorum stragem vidit, & ex Campania fugatus est. Casilinum oppidum captum, Fabius Samnium depopulatus est, & multa oppida vi cæpit. Syracusæ obsessæ: contra Philippum bellum susceptum, qui ad Apolloniam castris exutus est. res in Hispania prosperè à Scipionibus gestæ, & Saguntum

* DXL. 212

recuperatum.

Q. Fabio maximo, T. Sempronio Gracco II. Coss. 35

* DXLI. 211 MVrus ac portæ tactæ, Ariciæ Iouis ædes de cœlo icta fulmine: nauium longarum species in flumine Tarracinæ, quæ tamen nullæ erant, visæ. in Iouis Vicillini templo, quod in Cossano agro est, arma concrepuerunt, & flumen Amiterni cruentum fluxit. Siphax Numidarum rex contra Masinissam regem pro Carthaginiensibus pugnans, victus est. In Brutijs ex duodecim populis, qui anno priore ad Pœnos desciuerant, Consentini & Thurini, in fidem populi Romani redierunt. Sempronius consul, in Lucanis aliquot oppida expugnauit. is cùm in Lucanis sacrificasset, angues duo ex occulto prolapsi, repentè hostiæ, quam immolauerat, adeso iocinore, in easdem latebras se retulerunt. ob id deinde factum instaurato sacrificio, idem prodigij euenit. tertia quoq; cæsa victima, diligentiusq; asseruatis extis, neq; allapsus serpentum arceri, neq; fuga impediri potuit. quod quamuis Aruspices ad salutem imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen vitare non potuit, quin Flauij Lucani hospitis sui insidijs seductus, inermis à Pœnorum militibus occideretur.

Appio

Appio Claudio Pulchro, Q. Fuluio Flacco III. Coss. 36

* DXLII 210

TEmpestates fœdæ coortæ, in Albano monte biduum continenter lapidibus pluit. tacta de cœlo multa, duæ in Capitolio ædes, vallum in castris, multisq; locis supra Suessulam, & duo vigiles exanimati: murus, turresq;, & quædam alia, Cumis fulminibus icta, & penitus decussa. Reate saxum ingẽs volitare visum: sol rubere solito magis, sanguineoq; colore similis apparuit. Hannibal proditione Tarẽtum cepit, excepta arce. Samniorum agri à Romanis depopulati sunt. Romani bis cruẽtas clades acceperunt ab Hannibale. Capua à Romanis obsessa, te capta. Publius et Gneus Scipiones in Hispania ab hostibus circumuenti, & occisi sunt. L. Martius eques Romanus cùm in Hispania militaret, orationemq; ad milites haberet, fœlicis euentus flamma concionanti à capite, sine ipsius sensu, cum magno circumstantium pauore, fusa est: cuius aspectu milites pristinam recuperare fortitudinem admoniti, septem & triginta hostium millibus cæsis, magnoq; numero in potestatem redacto, bina castra, Punicis opibus referta, cæperũt. Hispania aliquandiu quieta reddita. Marcellus captis Syracusis, magna cum gloria Romam reuersus est.

M. Val

M.Valerio leuino II. M.Claudio Marcello IIII. Coss. 37

* DXLIIII. 208 IN æde Concordiæ Victoria quæ in culmine erat,fulmine icta,decussaq; ad Victorias quæ in æde fixæ erant,hæsit,neq; inde procidit. Anagniæ & Fregellis murus portæq; vrbis de cælo tactæ. in foro Sudertano sanguinis riui per totũ diem fluxere. Ereti lapidibus pluit, Reate mula peperit. Eodem anno incẽdium perniciosum Romæ,Campanorum malicia ortum. Marcellus in Campania Salapiã recuperauit. Romana classis ad Sacriportum infeliciter pugnauit. Scipio in Hispania nouã Carthaginẽ expugnauit. Marcellus Hannibalis exercitum fudit, & magna pars Siciliæ capta est. Tusculi agnus cum vbere lactanti natus: Iouis ædis culmen fulmine ictũ, ac propè omni tecto nudatum. iisdem fermè diebus Anagniæ terra ante portam icta,diem noctemq; sine vllo ignis alimento arsit. aues ad compitum Anagninum in luco Dianæ nidos in arboribus reliquerunt. Tarracinæ in mari haud procul portu,angues miræ magnitudinis, lasciuientium piscium more exultarunt. Tarquiniis porcus cum ore humano genitus. in agro Capenate,ad lucum Feroniæ,quatuor signa sanguine multo diem ac noctem sudarunt. Mox Valerius Messala agrum Vticensem depopulatus est, &

lex

lex post longas contentiones de reficiendis Consulibus lata est.

*

Q. Fabio maximo Verrucoso V. Q. Fuluio Flacco IIII. Coss. 38 DXLV. 207

IN Albano monte tacta de cælo sunt, signum Iouis, arborq́; templo propinqua, Hostiæ lacus, Capuæ murus, Fortunæ ædes, & Sinuessæ murus cum porta. Albana aqua cruore fluxit. Romæ intra cellã ædis Fortis Fortunæ de capite signũ, quod in corona erat, in manus sponte sua prolapsum. Priuerni bos locutus, vultur frequenti foro in tabernã deuolauit. Sinuessæ natus infans, ambiguo inter marem ac fœminam sexu. Lacte pluit. puer cum elephanti capite natus. Marcellus cũ Hannibale congressus, primò infœliciter, dehinc secunda pugna dimicauit, hostemq́; in fugam vertit. Fabius Tarentum recuperauit. Scipio in Hispania r:s prosperè gessit.

M. Claudio Marcello v. T. Quintio Crispino, Coss. 39 DXLXI. 206

CApuæ duæ ædes, Fortunæ scilicet & Martis, sepulcraq́; aliquot de cælo tacta. mures in æde Iouis aurum roserunt. Caßini examen apum ingens in foro consedit. Hostiæ murus, portaq́; de cælo icta. Ceræ vultur in ædem Iouis

nis volauit. Vulsinijs sanguine lacus manauit. Pestilentia grauis incidit vrbem, agrosq́; quæ tamen magis in longos morbos quàm in perniciales euasit. Marcellus cùm studio niteretur, vt Pœnorum exercitum aut in Italia prosterneret, aut Italia pelleret, in solenni sacrificio, quo voluntates Deorum explorare cupiebat, in prima hostia quæ ante foculum decidit, iecur sine capite inuentum est: proxima, iocinoris duplex caput habuit. quibus inspectis, Aruspex noc placere sibi exta respondit: quoniam prima trunca, secunda nimis læta apparuissent. Ita monitus Marcellus, ne quid temerè niteretur, insequenti nocte speculandi gratia cum paucis ingressus, ab hostibus in Brutijs circumuentus, dum improuidè contra Hannibalem pugnaret, lancea transfixus occubuit. Crispinus grauiter vulneratus, etiam interijt: id quod nunquam antea acciderat, vt duo Consules sine memorādo prælio interfecti, velut orbā Rempub. relinquerint.

C. Claudio Nerone, M. Liuio Salinatore II. Coss. 40

* DXLXII. 205 VEijs de cœlo lapidauit, Minturnis sanguinis riuus in porta fluxit. Iouis templum & lucus Maricæ, item Atellæ murus & porta de cœlo tacta. Capuæ lupus nocte portam ingressus, vigilem laniauit. in Armilustra lapidibus

bus pluit. Frusinone infans natus quadrimo par. in Auentino Iunonis reginæ ædes de cælo tacta. Apud Metaurum fluuium Hasdrubal cum omni exercitu à Romanis deletus est: in qua clade quinquaginta sex hostium millia à Romanis cæsa sunt, capta quinq; millia & quadringenti: ciuium Romanorum, qui capti erant apud hostes, quatuor millia recepta.

L. Veturio Philone, Q. Cæcilio Metello, Coss. 41 *

DXLVIII 204

T*Arracinæ Iouis, & Satrici matris Matutæ templum de cælo tactum. in æde Iouis ex foribus duo angues prolapsi: spicæ cruentæ à metentibus visæ. Ceræ porcus biceps: & agnus mas, idemq; fæmina natus. Albæ duo soles visi. Fregellis nocturno tempore lux oborta, bos in agro Romano locutus, in circo Flaminio ara Neptuni multo sudore manauit. ædes Cereris, Salutis & Quirini, de cælo tactæ. Lucani in ditionem populi Romani, sine certamine redierunt. Brutiorum vrbes sese Romanis dediderunt. Masinissa rex à Romanis in amicitiã receptus est. Astapa vrbs à Romanis oppugnata. Scipio rebellantes Hispanos in deditionem coëgit.*

P. Cornelio Scipione, P. Licinio Crasso, Coss. 42

Creb

* CRebrò de cælo lapidatum est, lectis igitur
DXLIX. Sibyllinis, inuentum est, tunc demum hostē
203 alienigenam, qui terræ Italiæ bellum intulisset, pelli Italia posse, si Idæa mater ex Pessinunte Romam aduеheretur. Eodem anno cū Hannibale in Brutijs frustra bellatum est, pestilentia vtrunque exercitum molestante. In Hispania noui motus exorti. in Italia Locri à Romanis recipiuntur.

M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano, Coss. 43

* DVo soles visi, & nocte interluxit. fax Se-
DL. tiæ ab ortu solis in occidentem porrigi vi-
202 sa. Tarracinæ porta, Anagniæ verò porta & murus multis locis de cælo tactus. in æde Iunonis Sospitæ Lanuuij, cum horrendo fragore strepitus editus. Scipio ex Sicilia in Africam traiecit: & euastatis agris Hannonem iuniorē occidit. Sempronius aduersus Hannibalem, primò infœliciter, deinde verò prosperè pugnauit, cæsis quatuor Pœnorum millibus.

Gn. Seruilio Cepione, Gn. Seruilio Gemino, Coss. 44

* AVrum in Capitolio corui non rostris tan
DLI. tum lacerarunt, sed comederunt etiā. Mu-
201 res Antij coronam aureā arroserunt. Circa Ca-

puam

puam locustarum vis ingens omnem agrum compleuit. equuleus Reate quinq; pedibus natus. Anagniæ sparsi primum ignes in cælo, deinde fax ardens in cælo visa. Frusinone arcus solem tenui linea amplexus est. Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit. Consulum alteri primam hostiam immolanti, caput iocinori defuit. in Africa per Scipionem iuxta Vticam Pœnorum castra sunt combusta. Romani multas in Brutijs ad se deficientes ciuitates receperunt, Hannibalemq; in agro Crotoniensi ceciderũt. Magonem Hannibalis fratrem cruento prælio vicerunt. Syphacis regis fœdifragi castra incendio ac flammis expugnarunt, ipsumq; regem cæperunt. Circa regia vrbs à Masinissa rege capta est.

M. Seruilio Gemino, T. Claudio Nerone, Coss. 45

CVmis Solis orbis minui visus, lapidibus * pluit. in Veliterno agro terra ingentibus D L I I. cauernis consedit, arboresq; in profundum hau- 200 stæ. Ariciæ forum, & circa tabernæ, Frusinone item murus aliquot locis, & porta vrbis de cælo tacta. in Palatio lapidibus pluit, magna Tyberis facta inundatio. Claudius eo anno consul, perniciosa tempestate ingruente naufragium passus est. Insignis fuit hic quoq; annus incendio

ingẽti, annonæ vilitate, & morte Q. Fabij Maximi, qui XXII. ann. augur fuit. Hannibal magno exercitu Africã ingressus. Vermina Syphacis regis filius, clade à Romanis profligatus est.

Ser. Sulpitio Galba, C. Aurelio Cotta, Coss. 46

* IN *Lucanis cœlum ardere visum. Priuerni se-*
DLIIII. *reno per diem Sol sanguineus fuit. Lanuuij in*
198 *templo Iunonis Sospitæ, nocte strepitus ingens exortus. animalium obscœni fœtus pluribus locis nuntiati. In Sabinis incertus infans natus, masculus an fœmina esset: alter sexdecim annorum, iam item ambiguo sexu inuẽtus. Frusinone agnus cum suillo capite. Sinuessæ porcus cum capite humano. In Lucanis, in agro publico equuleus cum quinq; pedibus. Fœda omnia, et deformia, errantisq; in alienos fœtus naturæ visa. ante omnia tamen abominati semimares, iussiq; in mare extemplò deportari. Bellum Macedonicum cum Philippo exortum. Galli, Insubres, Cenomani & Boij, duce Hamilcare Pœno, irruptiones in agros proximos fecerunt, & oppida flammis ac incendio diripuerunt.*

L. Cornelio Lentulo, P. Villio
* Tappulo, Coss. 47

DLV. SV*essæ duæ portæ, quodq; inter eas muri erat,*
197 *de cœlo tactũ. Formiani Iouis, apud Ostienses*

Iouis,

Iouis, Veliterni verò Apollinis & Sangi templa fulmine tacta. in Herculis æde capillus enatus, in Brutijs equuleus cum quinq; pedibus, pulli gallinacei cum ternis pedibus nati. in Macedonia laurea in puppi nauis longæ enata. Orta *est hoc anno in Macedonia atrox militum* Romanorum *seditio.* C. Bebius Pamphilus *apud* Gallos *&* Insubres *infœliciter pugnauit.* Carthaginienses *argentum in stipendium impositum, primùm* Romam *aduexerunt.*

Sex. Aelio Pæto, T. Quintio Flaminio, Coss. 48

DE *cælo tacta sunt, via publica* Veijs, *forum & ædes* Iouis Lanuuij, *Herculis* Ardeæ, *Capuæ murus, turres, & ædes quæ* Alba *dicitur. cælum* Aretij *ardere visum, terra* Velitris *trium iugerum spatio cauerna ingenti desedit.* Suessæ *agnus cum duobus capitibus natus.* Sinuessæ *porcus cum humano capite. Solis orbis diminui visus.* Quorum *prodigiorum causa supplicatio vnum diem habita, &* Consules *rebus diuinis operam dederũt.* Eo *autem anno* Flaminius *fœliciter in faucibus* Epiri, *contra* Philippum Macedoniæ *regem pugnauit.* Thessalia, *quæ est vicina* Macedoniæ, *socijs* Aetolis *et* Athamanibus, *à* Romanis *vexata est.* L. Quintius Flaminius *consulis frater, nauali prælio* Euboeam,

* DLVI. 196

ac maritimam oram omnem cœpit. Achæi à Romanis in amicitiam recepti sunt: & coniuratio seruorum de soluendis Carthaginiensibus obsidibus, detecta atq; oppressa est.

Cn. Cornelio Cethægo, Q. Minutio Rufo, Coss. 49

* DLVII. 195 *Aedes Vulcani Summauiq́; Romæ, & Fregellis murus ac porta de cœlo icta. Frusinone inter noctẽ lux orta. Asculo agnus biceps cũ quinq; pedibus natus. Formijs duo lupi oppidum ingressi, obuios aliquot laniauerunt. Romæ non in vrbẽ modo, sed in Capitolium etiam penetrauit lupus. In Gallijs prosperè est pugnatum. Insubres qui in armis contra Romanos erant, à Cornelio sunt debellati. Minutius Genuam exercitu abducto, ab Liguribus orsus bellum, oppida Clastidium, Litubium, item Celelates, Cerdiceatesq́; in deditionem accepit, atq; omnia cis Padum, præter Gallorum Boios, Iluates Ligurum, Romano imperio adiecit.*

L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello, Coss. 50

* DLVIII. 194 *L. Iulius equestris in Sabinos proficiscens, fulmine vnà cum equo exanimatus est. ædes Feroniæ in Capenate de cœlo tacta: ad Monetæ templum duarum hastarum spicula arserunt.*

runt. lupus Esquilina porta ingressus, frequentissima parte vrbis, cùm in forum decurrisset, Thusco vico, atq; inde Melio per portam Capenam propè intactus euasit. Hæc prodigia maioribus hostijs sunt procurata. Hannibal frustra in Africa bellum molitus, ob metum Romanorum profugus, ad Antiochum Syriæ regem, bellum contra Romanos gerentem fugit. Marcellus in Hetruria à Boijs est oppressus. Boij & Insubres à Romanis igni ferroq; vastati. Philippus in Thessalia fusus & fugatus est.

P. Cornelio Scipione Africano II.
T. Sempronio Longo, Coss. 51

R*Omæ in foro, comitio, & Capitolio, sanguinis guttæ visæ sunt, terra alio pluit, caput Vulcani arsit. Interamnæ la xit, pueri ingenui Arimini sine oculis & [illegible] nati. in Piceno infans absq; manibus ac pedibus natus. in Adrianorum agro lapidibus pluit. Ea prodigia ex Pontificũ decreto procurata, & sacrificium nouẽdiale factũ. In Gallia Lucius Valerius Flaccus procõsul, circa Mediolanum, cum Gallis, Insubribus et Boijs, qui Dorulaco duce ad concitãdos Insubres Padum transgressi erant, signis collatis depugnauit. Marcus Porcicus Cato ex Hispania triumphauit. T. Sempronius Boios primùm ancipiti Marte, tandem verò insigni*

strage cecidit. in Macedonia T. Quintius Roma*norum præsidia è Græcia Brundusium deduxit.*

L. Cornelio Merula, Q. Minutio Thermo, Coss. 52

* DLXI. 591 M*Aximi & grauißimi terræmotus fuerũt, & aquæ ingentes. vnde & Tyberis loca vrbis plana inundauit. Circa portam Flumẽtanam quædã ruinis sunt collapsa, porta Cœlimõtana fulmine icta, murusq; circà multis locis de cœlo tactus.* Ariciæ, Lanuuij, *& in Auẽtino lapidibus pluit.* Capuæ *vesparũ ingens multitudo in forum aduolauit, & in* Martis *æde consedit: quæ cum cura collecta, & igni cremata est.* Ho*rum prodigiorum causa nouendiale sacrum factum, & vrbs lustrata est.* Minutius *à* Liguri[illegible] *extremum periculi adductus, vix* Numi[illegible]*n industria liberatus est.* Antiochus Han[illegible]*bale sollicitante bellum contra* Romanos *suscepit, & in* Hispania *res fœliciter gestæ sunt.*

L. Quintio Flaminio, Gn. Domitio Aenobarbo, Coss. 53

* DLXII. 590 C*Apra sex hædos vno fœtu edidit in* Pice*no.* Aretij *puer natus vnimanus.* Amiterni *terra pluit.* Formijs *porta murusq; de cœlo tacta: bos locutus,* Roma *tibi caue.* Cæterorũ *prodigiorum causa supplicatum est: bouem autem cum cura seruari, aliq; aruspices iusserunt.* Ty*beris*

beris infestiore quàm prius impetu illatus vrbi, duos pontes, ædificia multa, & maximè circa portam Flumẽtanam euertit: saxum ingens siue imbribus, siue terræ motu, leuiore quàm alioqui sentiretur, labefactatum, in vicum iugarium ex Capitolio procidit, et multos oppressit. in agris paßim inundatis pecua ablata, villarum strages facta est. Q. Minutius in agro Pisano cum Liguribus signis collatis pugnauit, & nouem hostium millia occidit, cæteros fusos fugatosq; in castra compulit. Boiorum regio longè lateq; à Romanis vastata est. In vtraq; Hispania res fæliciter gestæ. cõtra Vectones & Toletanos prospere pugnatum. Antiochus rex in Hellespontum cum magno exercitu irrupit.

P. Cornelio Scipione Nasica, M. Attilio Glabrione, Coss. 54 *

DLXIII. 189

BOues duo domiti in Carinis per scalas peruenerunt in tegulas ædificij, quos Aruspices viuos cõburi, cineremq; eorũ in Tyberim deijci iusserũt. Tarracinæ & Amiterni aliquoties lapidibus pluit. Minturnis Iouis tẽplum & tabernæ circa forum de cælo tactæ. Vulturni in ostio fluminis, duæ naues fulmine ictæ cõflagrarunt. Eorum prodigiorum causa ieiunium Cereri est institutum, item nouendiale sacrũ, & in vnum diem supplicatio facta. Eo anno contra Ligures

acerrimos hostes, prosperè à Q. Minutio est pugnatum, interfectis aliquot hostium millibus. Duobus ferè pòst mẽsibus, P. Cornelius cum Boiorum exercitu signis collatis, duodetriginta hostium millia occidit 3040. cæpit, signa militaria 124. equos 1230. Attilius Naupactum expugnauit. nauali prælio cum Eumene & Antiochi regis præfectis prosperè est pugnatum.

L. Scipione, C. Lælio, Coss. 55

DLXIIII. 188 IVnonis Lucinæ templum fulmine ictum, ita vt fastigium, valuæq; deformarentur. In finitimis pleraq; de cælo icta. Nursiæ sereno nimbi orti, & homines duo exanimati. Tusculi terra pluit. Mula Reate peperit. Supplicatio per decem pueros patrimos, matrimos, totidemq; virgines habita. * Aemylius Regillus eo anno fæliciter contra Antiochum pugnauit, & Antiochus ipse à Scipione captus est.

M. Messala, C. Liuio, Coss. 56

DLXVI. 186 LVce, inter horam tertiam, & quartam, tenebræ ortæ. In Auentino lapidum pluuiæ nouendiali expiatæ. In Hispania prosperè militatum. Sacrum nouẽdiale factum, quòd in Piceno lapidibus pluit: ignesq; cælestes multifariam orti, leui afflatu cõplurium vestimenta adusserunt. Aedes Iouis in Capitolio fulmine icta. In

Vmbria

Vmbria ſemimas duodecim fermè annorũ natus, aruſpicumq; iuſſu necatus. Galli, qui alpeis tranſierunt in Italiam, ſine prælio eiecti. * *Fædus eſt cum Antiocho conſcriptum, & à Thracibus Romani vexati ſunt.* *

M. Aemylio Lepido, C. Quintio Flaminio, Coss. 57

IN Sicilia Vulcani inſula ſaxoſa, deſerta, quæ * *ex ternis crateribus flãmas eructabat, magna* DLXVII. *hominum ãdmiratione nata eſt. Eodem anno Q.* 185 *Fuluius Flaccus prætor in citeriore Hiſpania XXIII. millia hominũ fudit. Gracchus in Hiſpania vlteriore infinita oppida in deditionem accepit. Poſthumius in citeriore Hiſpania fæliciter etiam contra hoſtes pugnauit, ibidemq; multa oppida expugnauit etiam Gracchus.*

Sp. Poſthumio Albino, Q. Martio Philippo, Coss. 58

LVdis Romanis, quos P. Cornelius Cethe- * *gus & A. Poſthumius Albinus faciebant,* DLXVIII. *malus in Circo inſtabilis in ſignum Pollentiæ* 184 *procidit, atq; id deiecit: qua religione moti patres, & diem vnum adijciendũ ludorũ celebritati, & ſigna duo pro vno reponenda, nouumq; auratum faciendum cenſuerunt. Gn. Manlius de Gallogræcis triumphauit, Aſiaticasq; illecebras*

inuexit. in Hiſpania Luſitanorum & Celtiberorum cædes ſub idem ferè tempus facta eſt.

M.Claudio, Q. Fabio Labeone. Coss. 59

DLXXI. IN *area Vulcani per biduum, in area Concor-*
181 *diæ totidem diebus ſanguinē pluit. In Sicilia, inſula noua maritima. Hannibal in Bithynia*
* *veneno perijt. Celtiberi ſubacti. * Obierunt clariſsimi imperatores, Scipio & Philippemenes.*

L. Aemylio Paulo, Gn. Bebio Pamphilo, Coss. 60

* PRocelloſa *tempeſtate ſtrages in Vrbe facta,*
DLXXII. *ſigna ænea in Capitolio deiecit. Signa in*
180 *circo maximo cum columnis euertit. Faſtigia templorum aliquot à culmine abrupta diſsipauit. Mulus tripes Reate natus. Aedes Apollinis Caietæ fulmine ictæ. In area Vulcani, & Con-*
DLXXIII *cordiæ, ſanguinem pluit. Haſtæ Martis motæ.*
179 *Lanuuij ſimulacrum Iunonis Soſpitæ lacrymauit. Peſtilentiæ Libitina non ſufficit. Ex Sibyllinis ſupplicatum, cùm ſex menſibus non pluiſ-*
* *ſet. Ligures prælio victi, deletiq;. *Peſtis vrbem & villas inuaſit, quæ adeò vrbem exhauſit, vt vix in Sardiniam contra defectionem Corſorum exercitus conſcribi potuerit. Sex menſibus nunquam pluit.*

Q. Ful

Q. Fuluio, Cn. Manlio, Coss. 61

NImbis cōtinuis in Capitolio signa aliquot deiecta fulmine, Romæ & circà plurima decussa. In lectisternio Iouis terremotu Deorū capita se conuerterunt. Lana cum integumentis, quæ Ioui erant apposita, decidit. De mensa oleas mures præroserunt.* De Celtiberis triumphatum. res in Hispania fœliciter gestæ, & cum Liguribus prosperè pugnatum. DLXXV. 177 *

M. Iunio, Gn. Manlio. Coss. 62

INcendio circa forū cū plurima essent deusta, ædes Veneris sine vllo vestigio cremata. Vestæ penetralis ignis extinctus. Virgo iussu M. Aemylij Pontificis maximi flagro cæsa, negauit vlterius interitorū supplicationibus habitis. In Hispania et Histria bella prosperè administrata. DLXXVI. 176

C. Claudio Pulchro, T. Sempronio Graccho, Coss. 63

LApis ingens in agro Crustumino in lacum Martis de cœlo cecidit. puer truci corporis in agro Romano natus, anguis quadrupes visus. Capuæ multa in foro ædificia de cœlo tacta. Puteolis duæ naues fulminis ictu concrematæ. Lupus Romæ interdiu cùm Collina porta intrasset, per Esquillinam magno consectantium tumultu euasit. Eorum prodigiorum causa, * DLXXVII 175

Consul

Consules maiores hostias immolarunt, & die vnum circa omnia puluinaria supplicatio fuit. Histrorum agri à Romanis depopulati sunt. Nesatium oppidum à Iunio & Manlio oppugnatum. Mutila & Faueria vi captæ, & deletæ. In Sardinia res prosperè gestæ. Ilienses et Ligures sunt deuicti. In Crustumino auis, quã sanqualem vocant, sacrum lapidem rostro portauit. bos in Campania locutus: vacca Aenea Syracusis ab agresti tauro inita, ac semine aspersa. In Crustumino diem vnum in ipso loco supplicatio fuit, & in Campania bos alenda publicè data: Syracusanumq; prodigium expiatũ, editis ab aruspicibus Dijs, quibus supplicaretur. Pontifex eo anno etiam mortuus est.

C. Claudio, L. Petellio, Coss. 46

DLXXVIII. 174 CVm immolassent victimas consules, iecur extabuit. Cornelius ex monte Albano rediens, membris captus ad aquas Cumanas mortuus. Petellius contra Ligures dimicans occisus est *. Fax in cœlo visa. Gabijs Apollinis templum & priuata ædificia plura, Grauiscis murus portaq; de cœlo tacta. Ea patres procurari, vti Pontifices censuissent, iusserunt. Ligures victi, & Sempronius Sardos perdomuit.

*

M. Lepi

M. Lepido, Q. Mutio, Coss. 65

GRaui pestilentia hominum, boumq; cada- DLXXIX.
uera, non sufficiente Libitina, cùm iace- 173
rent, vlterius non apparuit. Celtiberi deleti*. & *
Basternarum gens ferocißima, autore Persa Philippi filio, sine vlla pugna, vel aliquo hoste, euersa est.

Sp. Posthumio Paulo, P. Mutio Scæuola, Coss. 66

IN Veienti agro biceps puer natus, & Sinues- *
sæ vnimanus. Oxini puella cum dentibus. Ar- DLXXX.
cus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in 172
foro Romano intentus, tres simul soles effulserunt. faces eadem nocte plures per cœlum lapsæ suut, in Lanuuino. apud Cærites anguis in oppido iubatus, aureis maculis sparsus apparuit. in agro Campano bos locutus, & in Sabinis terræmotus ingens factus est. Carthaginienses eodem anno cum Græciæ vrbibus aduersus Romanos, Perseo sollicitante conspirauerunt.

L. Posthumio Albino, M. Popilio Lenate, Coss. 67

LAnuuij claßis magnæ species in cœlo visæ. *
Priuerni lana pulla terra enata. In Veien-
ti apud Rementem lapidatum. Pomptinũ omne DLXXXI.
velut nubibus locustarum coopertũ. in Gallico 171
agro,

agro, qua induceretur aratrum, sub existētibus glebis pisces emerserunt. Ob hæc prodigia libri fatales inspecti, & supplicatio prodigijs expiandis facta. In Aetolia perniciosæ seditiones, propter ingentem æris alieni vim ortæ. Perseus bellum in Romanos parauit. In Liguribus, in agro Stellati pugnatum, ad oppidum Carystum, vbi decem millia hominum cæsa sunt, vincentibus Romanis.

C. Popilio Lenate, P. Aelio Ligo, Coss. 68

*

DLXXXII. *SAturniæ sanguine per triduū in oppido pluit. Calatiæ asinus tripes natus. taurus cum*

170 *quinq; vaccis vno ictu fulminis exanimati. Oxini terra pluit. Horum prodigiorum causa supplicatio in vnum diem instituta, & habitæ feriæ sunt. Issentium agri hoc anno miserè depopulati sunt, ac nihil memoratu dignum apud Romanos eo tempore gestum est.*

Q. Martio Philippo II. Q. Seruilio Cæpione, Coss. 69

*

DLXXXV. *ANagniæ fax in cœlo conspecta, bos fœmina locuta. Minturnis per eos dies cœli ar-*

167 *dentis species affulsæ. Reate pluit lapidibus. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes integras lacrymauit. Romæ in æde Fortunæ anguis*

iubatus

iubatus à compluribus visus. Palma in area enata. Sanguine interdiu pluit. Fregillis in domo L. Atrei, hasta quam filio militi emerat, interdiu plus horas duas arsit: ita tamen, vt nihil eius ambureret ignis. Horum prodigiorũ causa post supplicationem victimis maiorib. circa omnia puluinaria facta sacrificia. Perseus rex in Thracia fœliciter pugnauit, victis Dardanis, & subactis Illyrijs.

Q. Aemylio Peto, M. Iulio, Coss. 70

R*Omæ aliquot loca sacra, profanaq́; cælo tacta. Anagniæ terra pluit. Lauinij fax ardens in cælo visa. Calatiæ in agro publico per triduũ, & duas nocteis sanguis manauit. Rex Illyrici Gentius, & Macedoniæ Perses, deuicti.* DLXXXVII. 165

M. Marcello, P. Sulpitio, Coss. 71

IN *Campania multis locis terra pluit. In Prænestino cruenti ceciderunt imbres. Veienti lana ex arboribus nata. Terracinæ in æde Mineruæ mulieres tres, quæ operatæ sedebant, fulmine exanimatæ. Ad locũ Libitinæ in statua equestri ænea, ex ore & pede aqua manauit diu. Galli Ligures deleti: comitia cùm ambitiosissimè fierent, & ob hoc Senatus in Capitolio haberetur,* DLXXXVIII. 164

beretur, miluus volans, mustelam raptam de cella Iouis, in medio concessu patrum misit. Sub idem tempus ædes Salutis de cælo tacta. In colle Quirinali sanguis terra manauit. Lanuuij fax in cælo nocte conspecta, fulmine pleraq; discussa. Caßini & sol per aliquot horas noctis visus. Theani Sidicini puer cũ quatuor manibus, & totidem pedibus natus. Vrbe strata, pax domi forisq; fuit.

Cn. Octauio, T. Manilio, Coss. 72

DLXXXIX. 163 P*Estilentia fameq; ita laboratum, vt ex Sibyllinis populus circa compita, sacellaq; operaturus sederit. In æde Penatium valuæ nocte sua sponte adapertæ, & lupi Exquilijs, & in colle Quirinali meridie apparuerunt, exagitatiq; fuerunt. Vrbe lustrata, nihil triste accidit.*

T. Graccho, M. Iuuentio, Coss. 73

DXCI. 161 C*Apuæ nocte sol visus. In agro Stellati fulgure veruecum de grege pars exanimata. Terracinæ pueri trigemini nati. Formijs duo soles interdiu visi, cælum arsit. Concij homo ex speculo acie orta combustus. Gabijs lacte pluit. Fulmine pleraq; decussa in Palatio. In templũ Victoriæ cygnus inlapsus, per manus capientium effugit. Priuerni puella sine manu nata. In Cephalenia turba in cælo cãtare visa. Terra pluit.*

pluit. Procellosa tempestate tecta diruta, strages'q; agrorum facta. Crebrò fulminauit. Nocte species solis Pisauri adfulsit. Cære porcus humanis manibus & pedibus natus: & pueri quadrupedes, & quadrumanes nati. Ad forum Esij bouem flamma ex ipsius ore nata nō læsit.

P. Scipione Nasica, Gn. Martio, Coss. 74

ANagniæ cælum nocte arsit, fulmine pleraq; decussa. Frusinonæ bos locutus. Reate mulus tripes natus. Gn. *Octauius legatus in Syria per Lysiam, tutorem Antiochi pueri, in gymnasio occisus.* DXCII. 160

L. Lentulo, C. Martio, Coss. 75

PRocellosa tempestate in Capitolio ædes Iouis, & circa quassata. Pontis maximi tectum cum columnis in Tyberim deiectum. In circo Flamminio porticus inter ædem Iunonis Reginæ, & Fortunæ tacta, & circa ædificia pleraq; dissipata. Taurus ad immolationem cum duceretur, ob hæc ipsa corruit. Dalmatæ Scordis superati. DXCVIII. 154

L. Opimio, Q. Posthumio, Coss. 76

IN prouinciam proficiscens Posthumius consul, cùm immolaret, in plurimis victimis D C. 152

caput in iocinore nõ inuenit: profectusq́; post diẽ septimum, æger Romã relatus, expirauit. Consæ arma in cœlo volare visa, fulmine pleraq; decussa. A Gallis, & à Lusitanis Romani per arma grauiter vexati.

M. Cla. Marcello, L. Valerio Flacco, Coss. 77

DCII. 150 T*Vrbinis vi in Campo columna ante ædẽ Iouis decussa, cum signo aurato. Cumq́; aruspices respondissent, magistratuum, & sacerdotum interitum fore, omnes magistratus se protinus abdicauerunt. Quod Ariciæ lapidibus pluerat, ita supplicatio habita: quòd Romæ multis locis species togarum visæ, adpropinquãtium oculos eludebant. In Lusitania variè, in Gallia prosperè pugnatum.*

Spurio Posthumio, L. Pisone, Coss. 78

DCVI. 146 V*Asto incendio Romæ, cùm Regia quoque vreretur, sacrarium, & ex duabus altera laurus, ex medijs ignibus inuiolata est, & erunt. Pseudophilippus deuictus.*

P. Africano, & Lælio, Coss. 79

DCVII 145 A*Miterni puer tribus pedibus, vna manu natus. Romæ & circa, fulmine pleraq; icta.*

icta. Cære sanguinis riui terra fluxerunt, & nocte cælum ac terra ardere visum. Frusinone aurum sacrum mures adroserunt. Lauinij inter horam tertiam & quintam discolores circuli solem cinxerunt, rubente alter, alter candida linea. Stella arsit per dies trigintaduos. Et cùm Carthago obsideretur, in captiuos Romanorum per Hasdrubalem barbaro more sæuitum, mox Carthago per Aemylianum diruta.

Appio Claudio, P. Metello, Coss. 80

A *Miterni puer tribus pedib. natus. Cauræ sanguinis riui è terra fluxerunt. Cùm à Salaßis illata clades esset Romanis, Decemuiri pronuntiauerunt, se inuenisse in Sibyllinis, quoties bellum Gallis illaturi essent, sacrificari in eorum finibus oportere.* DCXI. 141

L. Metello, Q. Fabio Maximo, Coss. 81

F*Ames & pestilentia cùm essent, per Decemuiros supplicatum. Lunæ androgynus natus, præcepto aruspicum in mare deportatus. Tanta fuit Lunensibus pestilentia, vt iacentibus in publicum paßim cadaueribus, qui funerarent, defuerint. In Macerdonia exercitus Romanus prælio vexatus, aduersus Viriatum dubiè dimicauit.* DCXII. 140

Gn. Cæpione, C. Lælio. Coss. 82

DCXIIII. 138 PRæneste, & in Cephalenia signa de cælo cecidisse visa. Mons Aetna ignibus abundauit, prodigium maioribus hostijs quadraginta expiatum. Annus pacatus fuit, Viriato victo.

M. Aemylio, C. Hostilio Mancino, Coss. 83

DCXVII. 135 CVm Lanuuij auspicarentur, pulli è cauea in syluam Laurentinam euolarunt, neq; inuenti sunt. Præneste fax ardens in cælo visa. sereno intonuit. Terracinæ M. Claudius prætor in naue fulmine conflagrauit. Lacus Fucinus per millia passuum quinq; quoquouersum inundauit. In Græcostasi, & comitio, sanguine fluxit. Exquilijs equuleus cum quinq; pedibus natus. Fulmine pleraq; decussa. Hostilius Mancinus consul, in portu Herculis cùm conscenderet nauem, petens Numantiam, vox improuiso audita, Mane Mancine. Cumq; egressus, postea nauem Genuæ conscendisset, anguis in naui inuentus, è manibus effugit: ipse consul deuictus, mox Numantinis deditus.

L. Furio, Attilio Sarrano, Coss. 84

DCXVIII 134 RHegium penè totum incendio consumptũ, sine vllo humanæ fraudis, aut negligẽtiæ vestigio

vestigio. Puer ex ancilla quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, & duplici obscœno natus. Puteolis in aquis calidis riui manarunt sanguine. Fulmine pleraq; deiecta, puer aruspicum iussu crematus, cinisq; eius in mare deiectus. Ab Achæis exercitus Rom. cæsus.

Seruio Flacco, Q. Calpurnio, Coss. 85

MOns Aetna maioribus solito arsit ignib. DCXIX.
Romæ puer solidus posteriore naturæ par 133
te genitus. Bononiæ fruges in arborib. natæ. Eubonis vox primùm in Capitolio, dein circa vrbem audita. Quæ auis, præmio posito ab aucupe, capta, combustaq;, cinis eius in Tyberim dispersus. Bos locutus. in Numantia res malè gestæ, exercitus Romanus oppressus.

P. Africano, C. Fuluio, Coss. 86

IN Amiterno sol noctu visus, eiusq; lux ali- DCXX.
quandiu fuit visa. Bos locutus, & nutritus 132
publicè. Sanguine pluit. Anagniæ seruo tunica arsit: et intermortuo igne, nullũ flãmæ apparuit vestigiũ. In Capitolio nocte auis gemitus simileis hominis dedit. In æde Iunonis Reginæ scu-

tum Ligusticum fulmine tactum. Fugitiuorum bellum in Sicilia exortum. Coniuratione seruorum Italia oppressa. Tiberius Gracchus legibus ferendis occisus. Proditum est memoriæ, Tiberiũ Gracchum, quo die perijt, tristia neglexisse omina, cùm domi, & in Capitolio sacrificanti dira portenderentur: domoq; exiens, sinistro ad limen offenso pede, decusserit pollicẽ: & corui fragmen tum tegulæ ante pedes eius proiecerunt ex stillicidio. In lacu Romano lacte riui manarunt. Lunæ terra quatuor iugerum spatio in profundum abijt, & mox de cauerna lacum reddidit. Ardeæ terra pluit. Minturnis lupus vigilem laniauit, & inter tumultum effugit. Romæ bubo, & alia auis ignota visa. In æde Iunonis Reginæ clausis per biduum valuis, infantis vox audita. Scuta nouo sanguine maculata. Puella quadrupes nata. In agro Ferentino Androgynus natus, & in flumen deiectus. Virgines ter nouenæ canentes, vrbẽ lustrauerũt. In Italia multa millia seruorum, quæ coniurauerant, ægrè comprehensa, & supplicio cõsumpta. In Sicilia fugitiui Romanos exercitus necauerunt. Numãtia diruta.

* Appio Claudio, M. Perpenna, Coss. 87.

DCXXIIII. 128 REate mulus cum quinq; pedibus natus. Romæ in agro Cortasi lacte pluit. Lupus & canis

canis Hostiæ pugnantes, fulmine exanimati. Grex ouium in Apulia, Prætor populi Romani uno ictu fulmine exanimatus. Terracinæ sereno nauis velum fulmine tactum, in aquas deiectũ, & impensas omneis, quæ ibi erãt, ignis absumpsit. Publius Crassus aduersus Aristonicũ dimicans, occisus. Apollinis simulacrũ lacrymauit per quatriduum. Vates portenderunt, Græciæ fore exitiũ, vnde deductum esset. Sacrificatũ tum à Romanis, donaq; in templo posita. Phrygia recepta. Asia Attali testamento legata Romanis. Antiocho regi Syriæ ingenti exercitu dimicanti, hirundines in tabernaculo nidum fecerunt: quo prodigio neglecto, prælium commisit, & à Parthis occisus est. M. Fuluij Flacci triumuiri dissensione in legibus ferendis, angues duo nigri in cella Mineruæ allapsi, ciuilem cædem portenderunt.

Cn. Octauio, T. Annio Ruffo, Coss. 88

MVlta intra & extra vrbẽ de cælo tacta. DCXXVI.
Reate mula peperit. Frusinone ex ancilla 126
puer biceps natus, fax ardens in cælo visa, & bubonis vox in vrbe audita. Cære sanguine pluit: ac gallus gallinaceus quinq; pedibus inuẽtus. Bella inter Antiochum Syriæ regem & Phraartem Parthorum regem gesta sunt. Et res

turbidæ Aegyptiorum: Ptolemæus enim Euergetes, ob nimiam crudelitatem suis inuisus, incensa à Po. Ro. regia, clàm in Cyprũ profugit. & cùm sorori eius Cleopatræ, quã eius filia virgine per vim compressa, & in matrimoniũ ducta, repudiauerat, regnum à populo datum esset, infensus, filium quem ex ea habebat, in Cypro occidit. caputq; eius, manus item & pedes, matri misit.

M. Aemylio, Lucio Aurelio, Coss. 89

DCXXVIII. 124 *NOcturna tempestate in Capitolio aliquot templa concussa sunt. Romæ & circà, fulmine pleraq; deiecta sunt. Aetna mons terremotu ignes super verticẽ latè diffudit, & ad insulam Liparas mare efferbuit, et quibusdã adustis nauibus vapore plerosque nauales exanimauit: piscium vim magnam exanimem dispersit, quos Liparenses auidius epulis appetentes, contaminatione ventris consumpti, ita vt noua pestilentia vastarentur insulæ. Quod prodigium aruspicum responso, seditionem, quæ post tempora patuit, portendit.*

P. Plautio, M. Fuluio, Coss. 90.

DCXXIX. 123 *IN arboribus fruges natæ sunt. Oleo & lactè in Veiente pluit. Bubo in capitolio visus. Ar-*

pis lapideus imber triduò apparuit. Locustarum ingentia agmina in Africa, quæ à vento in mare deiectæ, fluctibusq́; ciectæ, odore intolerabili Cyrenis mortifero vapore grauem pestilentiam fecerunt pecori, hominumq́;. DCCC. millia consumpta tabe, proditum est. Fregellæ, quæ aduersus Romanos coniurauerũt, dirutæ. Ligures Sallyes trucidati.

C. Casio Longino, C. Sextilio, Coss. 91

IN Græcostasi lacte pluit. Fulmine Crotonæ grex ouium cum cane, & tribus pastoribus exanimatus. Saturæ vitulus biceps natus. Tumultus in vrbe fuit, Graccho leges ferente. DCXXX. 122

Gn. Domitio, C. Fannio, Coss. 92

IN foro Vessano androgynus natus, in mare delatus est. In Gallia tres soles, & tres lunæ visæ. Vitulus biceps natus. Bubo in Capitolio visus, & ex incendio catena consumpta. Sallyes & Allobroges deuicti. DCXXXII 120

L. Opimio, Q. Fabio Maximo, Coss. 93

GRex luporum limites, qui in agrorum diuisione per C. Gracchum depositi erãt, dissipauit. Ipse Gracchus in Auentino occisus. DCXXXIII. 119

L. Aurelio, & L. Cæcilio, Coss. 94

DCXXXV 117 *ANdrogynus in agro Romano annorũ octo inuentus, & in mare deportatus. Virgines ter nouenæ in Vrbe cantarunt.*

M. Catone, Q. Martio, Coss. 95

DCXXX-VI. 116 *CAtone consule immolante exta tabuerũt, caput iocinoris inuentum non est. Lacte pluit. Terra cum mugitu tremuit. Examen apũ in foro consedit. Sacrificium ex Sibylinis.*

L. Cæcillo, L. Aurelio, Coss. 96

DCXXX-VII. 115 *FVlmine Romæ & circà, pleraq; tacta. Præneste lacte pluit. Hastæ Martis in regia motæ. Priuerni terra septem iugerum spatio in cauerna desedit. Saturniæ Androgynus annorum decem inuentus, & mari demersus. Virgines vigintiseptem vrbem carmine lustrauerunt. Reliquum anni in pace fuit.*

M. Acillo, C. Portio, Coss. 97

DCXL. 112 *POmpeius Elnius eques Romanus, à ludis Romanis, cùm in Apulia reuerteretur, in agro Stellati filia eius virgo, equo insidens, fulmine icta, exanimataq;, vestimento deducto, in inguinibus exerta lingua per inferiores locos, vt ignis ad os emicuerit. Responsum, infamiam virg*

virginibus & equestri ordini portendi, quia equi ornamenta dispersa erant. Tres vno tempore virgines Vestales nobilissimæ, cum aliquot equitibus Romanis, incesti pœnas subierunt. Aedes Veneri Verticordiæ facta.

C. Cæcilio, Gneo Papyrio, Coss. 98

A*Lbanus mons nocte ardere visus. Aedicula & signum de cœlo tacta. Ara Salutis interrupta. Terra in Lucanis & Priuernati latè hiauit. In Gallia cœlum ardere visum. Cimbri, Theutoniq; alpes transgressi, fœdam stragem Romanorum sociorumq; fecerunt.* DCXLI III

P. Scipione, L. Calpurnio, Coss. 99

M*Axima pars vrbis exusta, cum æde Matris magnæ. Lacte per triduum pluit, hostijsq; expiatum maioribus. Iugurthinum bellum exortum.* DCXLIII. 109

Sergio Galba, M. Scauro, Coss. 100

A*Vis incendiaria, & bubo, in vrbe visæ. in Laotomijs homo ab homine adesus. Ex Sibyllinis in insula Cimolia sacrificatum per triginta ingenuos patrimos & matrimos, totidemq; virgines. multa millia hominum, intumescente Pado, et stagno Arretino obruta. Bis lacte pluit. Nursiæ gemini ex muliere ingenua nati: puella*

integris DCXLVI. 106

integris omnibus membris: puer à parte priore, aluo aperto, ita vt nudum intestinum conspiceretur. idem posteriore natura solidus natus qui voce missa expirauit. Contra Iugurtham prosperè dimicatum.

Q. Seruilio Cæpione, Attilio Sarrano, Coss. 101

DCXLVIII. 104 *AMiterni cùm ex ancilla puer nasceretur, Aue dixit. In agro Perusino, & Romæ locis aliquot, lacte pluit. Inter multa fulmine icta, Atellis digiti hominis quatuor tanquam ferro præcisi. Argentũ signatum afflatu fulminis diffluxit. In agro Trebulano mulier nupta ciui Romano, fulmine icta, nec exanimata. Fremitus cœlestis auditus, & pila cœlo cadere visa, sanguine pluit. Romæ interdiu fax sublimè volans conspecta. In æde Larum flamma à fastigio ad summum columẽ penetrauit innoxia. Per Cæpionem Consulem senatorum & equitũ iudicia communicata, cætera in pace fuerunt.*

P. Attilio, & Cornelio Manilio. Coss. 102

DCXLIX. 103 *TRebulæ, Mutuscæ antè quàm ludi committerentur, canẽte tibicine, angues nigri arã circumdederunt: desinente, dilapsi. Postero die exorti, à populo lapidibus enecati. foribus templi*

pli

pli adapertis, ſimulacrum Martis *ligneum capite ſtans inuentum*. A Luſitanis *exercitus* Ro*manus cæſus.*

C. Mario, C. Flacco, Coss. 103

BVbo extra vrbem viſus. bos locuta. Trebulæ, Matuſcæ ſimulacrum in templo, quod ca- D C L. 102
pite adoperto fuit, opertum inuentum. Nuceriæ vlmus vento euerſa, ſua ſponte erecta in radicem coaluit. In Lucanis lacte, Lunæ ſanguine pluit. Arimini canis locutus: arma cæleſtia, tempore vtroq; ab ortu & occaſu viſa pugnare, & ab occaſu vinci. Aruſpicum reſponſo, populus ſtipem Cereri & Proſerpinæ tulit. Virgines vigintiſeptem dona canentes tulerunt. Luna interdiu cum ſtella, ab hora tertia vſq; ad horam ſeptimam apparuit. A fugitiuis & deſertoribus, in Thurinis regiones vaſtatæ. Cimbri alpes tranſgreſsi, per Hiſpaniam vaſtatã, iunxerũt ſe Theutonis. Lupus vrbem intrauit. Fulminis ictu vultures ſuper turrẽ exanimati. Hora diei tertia, ſolis defectus lucẽ obſcurauit. Examen apũ ante ædem Salutis conſedit. In Comitio lacte pluit. In Piceno tres ſoles viſi. In agro Vulſiniẽſi flãma è terra orta, cœlũq; viſa cõtingere. In Lucanis duo agni equinis pedibus nati, alter ſiminino capite. In Tarquinienſi lactis riui terra ſcaturiẽti exorta. Aruſpicũ reſponſo ſigna

oleag

oleaginea duo armata statuta, supplicatumq;. In Macedonia Thraces subacti.

C. Mario, Q. Luctatio, Coss. 104

DCLII 100 *NOuendiale sacrũ fuit, quòd in Thuscis lapidibus pluerat. Vrbs aruspicum iussu lustrata. Hostiarum cinis per Decemuiros in mare dispersus: & per dies nouem circa omnia tẽpla per magistratus, & municipia, põpa ducta supplicatũ. Hastæ Martis in regia, sua sponte motæ. Sanguine circa amnem Anienem pluit. Examẽ apum in foro Boario, in sacello cõsedit. In Gallia, in castris lux nocte fulsit. Puer ingenuus Ariciæ flamma comprehensus, nec ambustus. Aedes Iouis clusa fulmine icta, cuius expiationẽ, quia prius monstrauerat Aemylius Potensis aruspex, præmium tulit, cæteris celãtibus, quòd ipsis, liberisq; exitium portenderetur. Piratæ in Sicilia à Romanis deleti. Theutoni à Mario trucidati. Ancylia cum crepitu sua sponte mota, seruusq; Seruilij Cæpionis matris Ideæ se præcidit, & trans mare exportatus, ne vnquã Romæ reuerteretur. Vrbs lustrata, capra cornibus ardentibus per vrbem ducta, porta Neuia emissa, relictaq;. In Auentino luto pluit. Lusitanis deuictis, Hispania vlterior pacata. Cimbri deleti.*

C. Mario, L. Valerio, Coss. 105

FAx ardẽs Tarquinijs latè visa, subito lapsu cadens. Sub occasu solis, orbis clypei similis ab occidente ad orientem visus præferri. In Piceno, terremotu domicilia ruinis prostrata: quædam conuulsa, sede sua inclinata manserũt. Fremitus armorum ex inferno auditus. Quadrigæ auratæ in foro à pedibus sudauerunt. Fugitiui in Sicilia prælijs trucidati. DCLIIII. 98

M. Antonio, A. Posthumio, Coss. 106

BVbone in vrbe viso, vrbs lustrata, nimbis & procella plurima dissipata, fulmine pleraq; tacta. Lanuuij in æde Iunonis Sospitæ, in cubiculo deæ sanguinis guttæ visæ. Nursiæ ædes sacra terremotu disiecta. Lusitani rebellantes subacti. Sextius tribunus plebis de agris diuidendis populo, cùm repugnantibus collegis pertinaciter legem ferret, corui duo numero in alto volantes, ita pugnauerumt supra concionem, vt rostris, vnguibusq; lacerarentur. Aruspices sacra Apollinis litanda, & de lege quæ ferebatur supersedendum, pronuntiarunt. Fremitus ab inferno ad cœlum ferri visus, inopiam, famemq́; portendit. Populus stipem, matronæ thæsaurum, & virgines dona Cereri & Proserpinæ tulerunt. Per virgines vigingiseptem cantitatum. Signa cupressea duo Iunoni Reginæ posita. In Lusitania prosperè à Romanis pugnatum. DCLV. 97

Q. Me

Q. Metello, Tullio Didio, Coss. 107

DCLVI. 96 BVbone in Capitolio supra deorum simulacra viso, cùm piaretur taurus, victima exanimis concidit. Fulmine pleraq; decussa. Hastæ Martis in regia motæ. Ludis in theatro, creta candida pluit: fruges & tẽpestates portẽdit bonas. Sereno tonuit. Apud ædẽ Apollinis Decẽuiris immolantibus, caput iocineris non fuit. Sacrificantibus anguis ad arã inuentus. Itẽ androgynus in mare deportatus. In circo inter pila militũ ignis fusus. Hispani pluribus prælijs deuicti.

Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio, Coss. 108

DCLVII. 95 SVpplicatum in vrbe, quòd androgynus inuentus, & in mare deportatus erat. Pisauri terræ fremitus auditus. Muri pinnæ sine terremotu paßim deiectæ, ciuiles portendêre discordias. Nursiæ simulacrum Iouis in partem sinistram conuersum. Cupressea simulacra Iunonis Reginæ posita per virgines vigintiseptem, quæ vrbem lustrauerunt. Cerltiberi, Medi, Dardani subacti.

Cneo Domitio, Caio Casßio, Coss. 109

Lupus

LVpus vrbem ingressus, in domo priuata DCLVIII.
occisus. Bubo in Capitolio occisus. Fulmine 94
pleraq; decussa. Signa aurata Iouis cum capite, columnaq; disiecta. Fesulis sanguine terra manauit. Aretij mulieri è naso spicæ farris natæ: eadem farris grana vomuit, vrbe lustrata. Ptolemæus rex Aegypti Cyrenis mortuus, S. P. Q. Romanum hæredem reliquit.

P. Crasso, Q. Scæuola, Coss. 110

CAere lacte pluit. Lebadiæ Eutychides in DCLIX.
tēplum Iouis Trophonij digressus, tabulam 93
æneam extulit, in qua scripta erant, quæ ad res Romanas pertinerent. Fulminis afflatu pleraq; animalia exanimata. Venafri hiatu terra altè subsedit. Vultures canē mortuum laniātes, occisi ab alijs et comesi vulturibus. Agnus biceps. Puer tribus manibus, totidēq; pedibus natus. At hastæ Martis in regia motæ. Androgynus Vrbino natus, in mare deportatus. Pax domi, forisq; fuit.

C. Lælio, L. Domitio, Coss. 111

NOuendiale sacrum fuit, quòd in Volsca DCLX.
gente lapidibus pluerat. Vulsinijs Luna 92
noua decidit, & non nisi postero die hora tertia comparuit. Puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina fœminea natura, mortua nata. Auis incendiaria visa, occisaq;. In Vestinis, in villa

lapidibus pluit. Fax in cælo apparuit, & totum cœlum ardere visum. Terra sanguine manauit, & cõcreuit. Canes, saxa, tegulas vulgò roserũt. Fesulis ingens multitudo inter sepulcra lugubri veste, pallida facie, interdiu ambulare gregatim visa. Per Nasicã Hispaniæ principes, qui rebellabant, supplicio consumpti, vrbibus dirutis.

C. Valerio, M. Herennio, Coss. 112

DCLXI. 91 *ROmæ & circà, fulmine pleraq; decussa. Ancilla puerum vnimanum peperit. Fregellis ædes Neptuni nocte patefacta. Maris vituli cùm exta demerentur, gemini vitelli in aluo eius inuenti. Arretij signum æneum Mercurij sudauit. In Lucanis gregem veruecum, cùm pasceretur, & nocte in stabulo flãma circundata nihil adussit. Carseolis torrens sanguinis fluxit. Lupi vrbem ingressi. Præneste lana volitauit. In Apulia mula peperit. Miluus in æde Apollinis Romæ cõprehensus. Herennio consuli bis immolanti, caput iocinoris defuit. In sacro nouendiali cœna deæ posita, à cane adesa antè, quàm delibaretur. Vulsinijs prima luce flamma cœlo emicare visa, cùm in vnum coisset, os flammæ ferrugineum ostendit: cœlum visum descẽdere, cuius hiatu vertices flammæ apparuerunt. Lustrationibus prosperè expiatum: nam totus annus domi forisq; tranquillus fuit.*

C. Claud

C.Claudio, M.Perpenna, Coss. 113.

BVbo in æde Fortunæ equeſtris cõprehenſus, DCLXII.
inter manus expirauit. Feſulis fremitus 90.
terræ auditus. Puer ex ancilla natus ſine fora-
mine naturæ, qua humor emittitur. Mulier du-
plici natura inuẽta. Fax in cœlo viſa. Bos locu-
ta. Examẽ apũ in culmine priuatæ domus con-
ſedit. Volaterris ſanguinis riuus manauit. Romæ
lacte pluit. Arretij duo androgyni inuẽti. Pullus
gallinaceus quadripes natus. Fulmine pleraq;
icta. Supplicatio fuit. Populus Cereri, & Pro-
ſerpinæ ſtipem tulit. Virgines vigintiſeptẽ car-
men canentes, vrbem luſtrauerũt. Medorum in
Macedonia gens, prouinciam cruentè vaſtauit.

L. Martio, Sexto Iulio, Coss. 114.

LIbius Troſo, P. Tarquinius, leges ferentes, DCLXIII.
cùm bellum Italicum cõſurgeret, prodigia 89
multa apparuerunt vrbi. Sub ortu Solis, globus
ignis à ſeptentrionali regione cum ingenti ſono
cœli emicuit. Arretij frangẽtibus panes, cruor è
medijs fluxit. In Veſtinis per dies ſeptẽ lapidibus
teſtiſq; pluit. Aenariæ terræ hiatu flãma exorta,
in cœlum emicuit. Circa Rhegium terra mota,
pars vrbis muriq; diruta. In Spoletino colore
aureo globus ignis ad terrã deuolutus, maiorq;
factus, è terra ad orientem ferri viſus, magni-
tudinẽ Solis obtexit. Cuius in arce, ſimulacrum

Apollinis sudauit. Aedes Pietatis in circo Flamminio clausa fulmine icta. A Sylo per ludos Romani trucidati, cùm ex agris in vrbem pecorà, armentaq; Latini agerent, strages hominum paßim facta, armenta in tantam rabiem concitata sunt, vt vastando suos, hostile imaginarentur bellum, lacrymantesq; multis affectibus, calamitatem præsagirent suis.

L. Iulio Cæsare, P. Rutilio, Coss. 115

DCLXIIII 88 MEtella Cæcilia somnio Iunonem Sospitam profugientem, quòd immundè sua templa fœdarentur, cùm suis precibus ægrè reuocatam diceret, gregem matronarũ sordidis, obscœnisq; corporis coinquinatum ministerijs, in quo etiam sub simulacro Deæ cubile canis confœtuerat, commundatum supplicationibus habitis, pristino splendori restituit. A Picentibus Romani barbaro more excruciati: vbiq; in Latio clades accensa. Lucilius Lupus, spretis religionibus, cùm in extis caput non inuenißet iocinoris, amisso exercitu in prælio occisus est.

L. Sylla, Q. Pompeio, Coss. 116

DCLXVI. 86 POmpeius Sylo in oppidum Bouianum, quod cæperat, triumphans inuectus, omen victoriæ hostibus ostendit: quia triumphus in

vrbem

vrbem victricem,non victam,induci solet.Proximo prælio,amisso exercitu occisus. Mithridati aduersus socios bellum paranti, prodigia apparuerunt. Stratopedo , vbi senatus haberi solet, corui vulturem tundendo rostris occiderunt. In eundem locum sydus ingẽs cælo demissum:Isidis species visa, fulmine petere. Lucum Furiarum cum Mithridates succẽderet,risus exauditus ingens, sine autore. Cùm aruspicũ iussu virginem Furijs immolaret , è iugulo puellæ risus ortus, turbauit sacrificiũ. Classis Mithridatis in Thessalia à Romanis in prælio amissa. Cinna & Mario per bella ciuilia crudeliter sæuientibus, Romæ in castris Gnei Pompeij cælum ruere [illegible] sum, arma signaq; tacta, milites exanim[illegible] Ipse Pompeius afflatus sydere, interijt. Lectum eius populus diripuit, corpus vnco traxit, quòd discrimine ciuili perseuerasset periclitãti patriæ non succurrere: cùm & imperiũ,& maximos haberet exercitus.Peiræum Sylla cùm oppugnaret,vnus miles eius aggerem ferens, exanimatus fulmine. Aruspex respondit,Diuturno labore,quod caput iacentis in oppidum versum esset, introitum & victoriam Romanis significare. Post breue tempus Athenæ & Peiræum à Syllæ capta. Ilio à C.Fimbria incenso, cùm ædes quoq; Mineruæ deflagrasset, inter ruinas simulacrum antiquissimum inuiolatum stetit, spemq; resti-

* *tutionis oppido portendit.* * In *agro* Mutinensi *duo montes inter sese concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesq;, inter eos flamma fumoq; in cælum exeunte. eo concursu villæ omnes elisæ, animaliaq; multa, quæ intrà fuerant, exanimata sunt.* Exarsit *eo anno sociale bellum, quod haud scio an funestius terræ* Italiæ *fuerit quàm ciuile.* In *eo autẽ bello* L. Cornelius Sylla *cùm in agro* Nolano *ante prætorium immolaret, subitò ab vna parte aræ anguis prospexit: qua visa,* Posthumi *aruspicis hortatu, continuò exercitum in expeditionem eduxit, ac fortißima* Samnitum *castra cœpit, quæ victo-* *futuræ eius amplißimæ potentiæ extitit.*

Cn. Octauio, L. Cornelio Cinna, Coss. 117

* SImulacro Apollinis *caput sine vlla euidenti*
DCLXVII *causa decidit: quod inuentum est humi adeò*
85 *infixum, vt summis etiam viribus auelli nõ popotuerit. quod videns* Octauius, *licet exitium suum significari intellexerit, vitare tamen non potuit. quo tamen crudeliter interfecto,* Dei *caput immobile terra demum refigi potuit.*

L. Scipione, C. Norbano, Coss. 118

DCLXXI. PEr Syllana *tẽpora, inter* Capuam & Vul-
81 *turnum, ingẽs signorum sonus, armorumq;, horren*

horrendo clamore auditus, ita vt viderentur duæ acies concurrere per plureis dies. Rei miraculo intus considerantibus, vestigia equorum, hominumq́;, & recentes protritæ herbæ, & virgulta visa molem ingentis belli portendere. In Hetruria Clusij, materfamiliæ viuum serpentem peperit, qui iussu aruspicum in profluentem deiectus, auersa aqua natauit. Lucius Sylla post quintum annum victor, in Italiam reuersus, magno terrori fuit inimicis. Aeditui Capitolium vna nocte conflagrauit. Syllæ crudelitate fœda proscriptio principum fuit. Centena millia hominum consumpta Italico, ciuiliq́; bello relata sunt.

M. Aemylio, D. Bruto, Coss. 119

Didius Lælius legatus Pompeij, cui prodigium Romæ erat factum, in lecto vxoris duo angues conspecti, in diuersumq́; lapsi. Proximè Pompeio in castris sedenti, accipiter super caput accesserat, In Hispania aduersus Sertorium, inter pabulatores occisus. DCLXXVII. 75

Cneo Octauio, C. Scribonio, Coss. 120

Reate terræmotu ædes sacræ in oppido, agrisq́; cõmotæ. Saxa, quibus forum stratum erat, discussa. Pontes interrupti. Ripæ labentis DCLXXVIII. 74

fluminis in aquam prouolutæ. Fremitus inferni exauditi. Et post paucos dies, quæ cõcussa erant, corruerunt. Saxum viuum cùm prouolueretur, in præcipiti rupe immobile stetit. A Sertorio in Hispania exercitus Romani cæsi. Aduersum Medos variè dimicatum.

L. Aurelio, L. Octauio, Coss. 121

DCLXXIX. 73 *SErtorio in Hispania exercitum ducenti, tale prodigium est factum. Scuta equitum parte exteriore, iaculaq́; & pectora equorum cruenta visa: quod prosperum sibi interpretatus est Sertorius, quia exteriora hostili sanguine maculari solent. Continua ei prælia cum successu fuerunt. Cyzicum Mithridates cùm oppugnaret, Aristagoræ, qui in summo magistratu erat, Proserpina in quiete visa est dicere aduersus tibicines, se tibicinem cõparasse. Postero die turres hostium vento disiectæ sunt. Ad immolandum bos sacra iniussa, de montibus per hostium classem adnatauit, seq́; ad aras percutiendam obtulit.*

M. Cesone, Gaio Antonio, Coss. 122

DCXCI. 61 *FVlmine pleraq; decussa. Sereno Vargũteius Pompeius de cælo exanimatus. Trabs ardens ab occasu ad cælum extenta. Terræmotu Spoletum totum concussum, & quædam corruerunt,*

runt. Inter alia relatum, biennio antè in Capitolio lupam Remi & Romuli fulmine ictam, signumq; Iouis cum columna disiectum, Aruspicum responso in foro repositum, Tabulæ legum aneæ literis liquefactis. Ab his prodigijs Catilinæ nefaria conspiratio cœpta. Cùm in agro Pistoriensi Catilinam deuicisset, laureatos fasces in prouinciam tulit: ibi à Dardanis oppressus, amisso exercitu profugit. Apparuit eum hostibus portendisse victoriam, cùm ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere. Lupi in vrbe visi: nocturni vlulatus, flebiles, canum auditi. Simulacrum Martis sudauit. Fulmen tota vrbe peruagatum, pleraq; deorum simulacra decussit, homines exanimauit. Vrbs lustrata. Propter dictaturam Pompeij, ingens seditio in vrbe fuit,

Gn. Domitio, Appio Claudio, Coss. 124

M. Crassus ad Parthos profectus, cùm Eufratem transiret, multa prodigia neglexit. Cùm etiam coorta tempestas, signifero signum arreptum mersisset gurgiti, & offendente nimborum caligine prohiberentur transire, pertinaciter perseuerans cum filio & exercitu, interijt. DCC. 52

L. Paulo, C. Marcello, Coss. 125

DCCIIII. 48 *MVla pariens, discordiam ciuium, bonorum interitũ, mutationem legum, turpes matronarum partus significauit. Incendium, quo maxima pars vrbis deleta est, prodigij loco habitum. Inter Cæsarem & Pompeium bella ciuilia exorta. aduersus Cæsarem Pompeius Macedonia cùm inuitatis gentibus amicis instrueret aciem, à Dyrrhachio venientibus, aduersa fuerunt fulmina, examen apum in signis portẽdit. Nocturni terrores in exercitu fuere. Ipse Pompeius pridie pugnæ die visus in theatro suo ingenti plausu excipi, mox acie victus, in Aegypto occisus, eo ipso die plerisq; locis signa sua sponte conuersa. Clamorem, crepitumq́; armorum Antiochiæ. bis vt curreretur in muros, auditum, indeq́; sonum tympanorum Pergami. Palma viridis Trallibus in æde Victoriæ, sub Cæsaris statua inter coagmenta lapidum magnitudine maturè enata. C.Cornelius augur Patauij eo die, cùm aueis admitterent, proclamauit rem geri, & vincere Cæsarem.*

C.Cæsare, M.Lepido, Coss. 126

DCCVIII. 44 *DEcimæ legionis aquilæ Gn. Pompeij filio, quæ fulmina tenebant, visæ dimittere, & in sublime auolare: ipse adolescens Pompeius victus, & fugiens occisus.*

C.Cæsare, M.Antonio, Coss. 127

Cæsari

CAesari dictatori exta sine corde inuenta. DCCX.
Calphurnia vxor somniauit, fastigiũ do- 42
mus, quod sicut erat adiectũ, ruisse. Nocte, cùm valuæ cubili clausæ essent, sua spõte apertæ sunt, ita vt Lunæ fulgore, qui introuenerat, Calpurnia excitaretur. Ipse Cæsar viginti tribus vulneribus in curia Pompeiana à cõiuratis confossus.

M. Antonio, P. Dolabella, Coss. 128

C. Octauius testamẽto Cæsaris patris Brũ- DCCX.
dusij se in Iuliam gẽtem adsciuit. Cumq; 42
hora diei tertia ingenti circunfusa multitudine Romã intraret, Sol puri ac sereni cœli orbe modico inclusus, extremæ lineæ circulo, qualis tendi arcus in nubibus solet, eam circunscripsit. Ludis Veneris genitricis, quos pro collegio fecit, stella, hora vndecima, crinita sub Septentrionis sydere exorta, conuertit omnium oculos. Quod sydus quia ludis Veneris apparuit, diuo Iulio insigne capitis consecrari placuit. Ipsi Cæsari monstrosa malignitate Antonij consulis multa perpesso, generosa fuit ad resistendum constantia. Terræmotus crebri fuerunt, fulmine naualia pleraq; tacta. turbinis vi simulacrum, quod M. Cicero plebiscito ante cellã Mineruæ pridie quàm in exilium iret, posuerat, dißipatum membris pronum iacuit, fractis humeris, brachijs, capite, dirum ipsi Ciceroni portendit. Tabulæ

æneæ ex æde Fidei turbine euulsæ. Aedis Opis valuæ fractæ. Arbores radicitus, & pleraq; tecta euersa. Fax cœlo ad occidentem visa ferri. Stella per dies septem insignis arsit. Soles tres fulserunt, circaq; solem imum corona spicæ similis in vrbem emicuit: & postea in vnũ circulum sole redacto, multis mensibus languida lux fuit. In æde Castoris nominum literæ quædam Antonij & Dolabellæ consulũ excussæ sunt, quibus vtrisq; alienatio à patria significata. Canum vlulatus nocte ante pontificis maximi domum Lepidi auditi: ex his maximus à cæteris laniatus, turpem infamiam Lepido portendit. Hostiæ grex piscium in sicco reciproco maris fluxu relictus. Padus inundauit, & intra ripam refluens, ingentem viperarũ vim reliquit. Inter Cæsarem & Antonium ciuilia bella exorta.

Caio Pansa, Hircio, Coss. 129

DCCXI. CAesari cùm honores decreti essent, & imperium aduersus Antoniũ, immolanti du-
41 plicia exta apparuerunt. Secutæ sunt eum res prosperæ. C. Pansa Cos. statua equestris Antonij domi corruit. Equus phaleratus in ipsius conspectu festinans concidit. Quidam è populo sanguine victimarum prolapso, respersam cruore palmam proficiscẽti dedit. Funesta hæc ipsi prodigia fuerunt. Qui mox aduersus Antonium dimic

dimicans, in mortem vulneratus est: armorum, telorumq; species, à terra visa cum fragore ad cœlum ferri. Signa legionis, quæ relicta à Pansa ad vrbis præsidium erant, veluti longo situ inductis araneis venire visa, fulmine pleraq; icta. In castris Cæsaris luce prima, in culmine pretorij super linteum consedit aquila: inde circumuolantibus minoribus auibus excita, de conspectu abijt. Oraculo Apollinis vox audita, lupis rabies hyeme, æstate frumentum non demessum. Veteranis Cæsari consulatum flagitantibus, terribilis tumultus Romæ fuit. Cæsar cũ in campum Martium exercitum deduceret, sex vultures apparuerunt. conscendenti deinde rostra creato consuli iterum sex vultures conspecti: veluti Romuli auspicijs nouam vrbem condituro signum dederunt. Reconciliatione inter Cæsarem, Antonium, Lepidum facta, fœda princip um fuit proscriptio.

M. Lepido, Munatio Planco, Coss. 130

MVla Romæ ad duodecim portas peperit. DCCXII.
Canis æditui mortua, à cane tracta. Lux 40
ita fulsit, vt tanquam die orto, ad opus surgeretur. In Mutinensi victoriæ Marianæ signum meridiem spectans, sua sponte conuersum in septentrionem hora quarta: cùm hæc victimis

expiar

expiarentur, soles tres circiter hora tertia diei, visi, mox in vnum orbem contracti Latinis in Albano monte cùm sacrificaretur, ex humo, à pollice Iouis cruor manauit. Per Caßium & Brutum in prouinciis, direptionibus sociorum, bella gesta. Notatũ est prodigii loco fuisse, quod P. Titius prætor propter dissensiones collegæ magistratum abrogauit, & ante annum est mortuus. Constat neminem qui magistratum collegæ abstulerat, annum vixisse. Abrogauerunt autem hi: Lucius Iunius Brutus consul, Tarquinio Collatino: Tib. Gracchus, M. Octauio Cæcinnæ: P. Tarquinius, P. Marullo: Tullius, Bruto & Caßio, pugnam aduersus Cæsarem & Antonium molientibus. In castris Caßii examen apium consedit. Locus, aruspicum iussu interclusus, interius ducto vallo. Vulturum, & aliarum alitum, quibus strages cadauerum pabulo est, ingens vis exercitum aduolauit. Puer in pompa Victoriæ cultu cùm ferretur, ferculo decidit. Lustratione lictor peruersis fascibus lauream imposuit. Brutianis in præliũ egredientibus, Aethiops in porta occurrit, & à militibus confossus: Caßius & Brutus interierunt.

Caio Furnio, Caio Syllano,

DCCXXXVII. Coss. 131

15 S*Vb Appennino, in villa Liuiæ vxoris Cæsaris, ingenti motu terra intremuit. Fax cælestis*

cœlestis à meridiano ad septentrionem extenta, luci diurnæ similem in nocte fecit. Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam de cœlo tacta. Insidijs Romanorum Germani circumuenti, sub M. Lollio legato grauiter vexati.

Paulo Fabio, Quinto Aelio, Coss. 132

IN *Germania, in castris Drusi examen apum in tabernaculo Hostilij Rutilij præfecti castrorum consedit, ita vt funem prætendentem, præfixamq; tentorio lanceam amplecteretur. Multitudo Romanorum per insidias subiecta est.* DCCXLIII. 9

IVLII OBSEQVENTIS *Prodigiorum libri Finis.*

POL

POLYDORI VERGILII Vrbinatis, ad Franciſcum Mariam Vrbini Ducem, in Dialogum de Prodigijs, Præfatio.

✱

ACCVRATE, *ſed neſcio quã benè,* Præſtantiſſime Dux, *confeci & abſolui, ineunte æſtate, dialogum de* Prodigijs, *cui ſcribendo bonam hybernorum menſium partem dedimus.* At *vnus aliquis fortaſſe dicet:* Iſthuc *argumenti genus iam pridem à* Cicerone *in illis libris, quos de* Diuinatione *compoſuit, plena manu pertractatũ eſt.* Ad *id reſpondere libet:* Faciamus *ita eſſe: quid tum?* Eripuit'ne Cicero *eam materiam ſic omnibus, vt in poſterum tempus, de ipſa re nemo quicquam bellè tradere poſſet?* Sexcenta *quippe extant exempla, quibus tale quid minimè obſeruandum edocemur: ſed vnum referam, verbi gratia:* Scripſit *apud nos in primis de re ruſtica* M. Cato, *deinde* M.Varro, Vergilius, *poſtea* Aemilius Macer, *mox* Columella, *poſtremò* Plinius, *&* Palladius, *in qua pro ſe quiſq; multum*

equidem

equidem ad summam agriculturæ vtilitatem, profecisse fertur, illudq́; studium haud in exigua singulorum laude ponitur. Idem igitur nobis aliquando vsu venire poterit, atq; illis venit, quum legētes animaduerterint me in Prodigiorum Dialogo solum quæsisse id, quod in rem omnium mortalium maximè esset, vt ne delyrarent, ne've animarum damnū facerent, quod Cicero præstare non potuit, tametsi ego nihil ad ipsum. Cæterùm illud non tam ingenij facultate, quàm temporum felicitate adiutum effecisse me, fateor: nos etenim, qui posteriores nati sumus, permulta cognita habemus, quæ superiores latuerant, quando nobis preceptor est Christus, qui cuncta cùm humanarum, tum diuinarum rerū mysteria rectè norit: cuius ipse quoq; doctrina instructus, confidenter veni in certamen cum hariolis, auguribus, haruspicibus, vatibus, sortilegis, quos partim diuinis, partim naturalibus debilitatos, imò atq; adeò deuictos rationibus iacere, cū suis pestiferis artibus, videre iam licebit. Quare hunc, optimè Princeps, Dialogum tuo nomini dicatum, iam diuulgatū volui, vt nostri laboris fructum, si quis erit, plures caperent: caperet autem bona pars populi, postquam intellexerit se Christianæ religionis beneficio haud attingi pessima obseruandorum prodigiorum cura, & eos qui talem suscipiunt

piunt curam maximè omnium teneri amentia, quum illi per eiusmodi studium, nihil omninò veri certi'ue doceãtur. Sed vel tibi nempe, tuiq; similibus, viris belli gloria amplissimis, aliquid voluptatis nouum afferet opus, quando per id planè constabit summos olim Imperatores in bello gerendo consueuisse de cælo obseruare, & auspicia prodigiaq; tanti facere, vt inde potiundæ victoriæ in spem aut protinus adducerentur, aut ab ea depellerentur, ac ita demum falli. Igitur quum ars militaris in prudentia et fortitudine pariter Ducis, atq; in militum robore consistat, nostri profectò Imperatores multo sapientissimè agunt, qui in sua suorumq; virtute spes sitas habentes, sine vllo augurio, res suo tempore gerunt: & id tu in primis, qui nũc Venetorum copias ducis, officiumq; fortissimi Imperatoris facis, quò adiumento sis ad rem Italicam, quæ iam propè trigesimum annũ crudeliter armis Gallorum, Hispanorumq; similiter ac Germanorum vexatur, laceratur, perditur, tandem aliquando restituendam. Quapropter non equidem minus omnium vocibus ad cælum extolleris, ob hanc quam nauas continenter operam, quàm ob singularem illam animi tui magnitudinem, æquè vt & rei bellicæ scientiam, qua ab hinc aliquot annis, regnum tuum auitum, quo aduersariorum potentia

tia pulsus fueras, fortiter recuperasti. Ex *quo certè nihil fermè vnquam tibi illustrius, quàm ea calamitas fuit, ad laudem, & gloriam sempiternam. Atq; sic in hoc opusculo aliquid existet, quod te delectarit: cuius rei causa est, quamobrem pro certo quasi habeam, meum istuc obseruantiæ officium nonnihil tibi fore gratum.* Vale LONDINI, XIII. *Calendarum Augusti,*

M. D. XXVI.

POLYDORI VERGILII VRBINATIS Dialogi de Prodigijs, Liber I.

*

POLYDORVS.

ABHINC *biduum, ita mecum cogitabam:* Si Robertus Rid*leius meus esset hîc, disputaremus aliquid: cũ ecce tibi, vnus ex meis ministris, nuntiauit te ad vrbem accessisse.* Sic *animus interdum auguratur, quæ statim pòst accidunt.* Hoc *itaq; vt*

primùm audiui, simul valde gauisus: ac nihil mihi hodie potius fuit, quàm vt te conuenirē, partim vt officium in amicum præstarem: partim vt intelligerem, quàm mox hinc esses discessurus: nam tibi iter aliò esse ferebant. ROBERTVS. Ago tibi mi Polydore gratias: certè tu mihi studio præcucurristi. si enim expectasses, dum sol oriretur, ad te recta via iuissem. Quod aues scire, an nostra mansio futura sit hîc diuturnior, sanè cum causa, ac non sine negotio, Cantabrigiensem Academiam mihi petendam constitui. POL. Nihil profectò commodius accidere posset. nam vnà, spero, ibimus in villam nostram, quæ, vti scis, secundum tuā viam, ad læuam in monticulo posita est: & talis, vt (quemadmodū Cato præcipit) ne fundum quærat, ne've fundus villam: habet enim hortum pomarium, pratum, syluam, & pusillum campum frumentarium. Quapropter te iterum atq; iterum rogo, vt animi relaxandi gratia, eò ex via recta diuertas, cùm locus minus duobus absit stadijs, non quò tuum interrumpamus iter, sed vt totum saltem triduum, de aliqua studiorum nostrorum quæstiuncula inter nos loquamur. quippe id appello boni otij fructum. ROB. Eamus, vt obsequar: & quia iam ventum est ad vmbram huius patulæ quercus, posce puluinos, & sedeamus. nam vt verum fatear,

aliquant

*aliquantulum fessus sum de via, ac ideo volo
me ad reficiẽdum ex labore dare.* POL. *Si tuus
animus perinde à curis, vt corpus à labore, va-
cuus est, inter nos hîc, quò animi gratia acces-
simus, conferamus iam licet, de* Prodigijs: *quæ
ob terrifica eorum euenta, mortales iam inde à
principio obseruare, pariterq; religioni habere,
atq; horrere cœperunt.* Etenim *nõ cognosco vnũ
aliquem, qui de ijs rebus subtilius, cumulatiusq;
quàm tu, qui es apprimè humanis æquè vt sa-
cris literis eruditus, disputare queat.* ROB. *In
rem ingrederis, quæ & quanta olim fuerit, ho-
die've sit, nemo omnium facilè suspicari potest,
quæ* Deorum *nuntios facit imbres, ventos, ma-
las tempestates, bestias & monstra.* POL.
*Ergo ex religionis vsu erit, aliquid de eiusmodi
superstitione, quæ etiamnum bene multorũ in-
sanas mentes tenet, disserere, quò cunctis illud*
Seruatoris *nostri oraculum longè verißimũ es-
se constet:* Ne *passerculus quidem in terram ca
dit, nisi ex voluntate* Dei *patris.* Sed *quia labes
ista, ab astrologia primùm facta est, illud ad-
moneo, nihil esse quod astrologorum vanis vta
mur argumentis, quum illorum quosdam postre-
mò non puduerit, bonam nostræ religionis my-
steriorum partem cœlo aßignare, perinde quasi
illud rerum omnium, non item* Deus, *autor fue
rit.* O *perniciosam disserendi licentiã.* Neq; *etiã*

Philosophorum captiosissimas volo subtilitates, quibus verum magis circumfunditur, quàm inuenitur. ROB. Non rescindemus regulam datam: sed rem, vt dixi, magni momenti tractas. POL. Quid ita? ROB. Quia vereor, ne te meq; vnà in laqueos nos induas, quorũ ex nullo vterq; sese poßit expedire, nisi in re haud facili, peracutis rerum cœlestium rationibus nobis vtendum constituamus: quibus muniti, in isto disputationis genere subtilius versari poßimus. POL. Nescis, certè nescis abstinere manus: sic bellè in disceptationis ostensos scopulos laberis. Nihil nempe huic sermoni nostro de re multo vtilißima, si sine captione plana fiat, ortо longius, quàm quicquam commentitium esse duco: proinde quatenus ista nobis tractãda sint, vt rectè intelligas, si libet, talis erit nostræ disputationis modus. Alter nostrũ referet carptim prodigia, postquam ita appellare placet, quòd prædicent: quãquam sunt eiusdem fermè generis, portenta, monstra, ostenta, quia portendunt, monstrant, ostendunt. Alter euentorum causas, quàm veras exquiret, atq; exponet, quò tandem aliquando diluceat, in quibus veteres similiter versati sint erroribus, ac bona nunc vulgi pars delyret. Hæc explanaui, vt à principio intelligeretur à te, quid illud esset, de quo disputandum foret, vt ne vagari & errare cogeretur

oratio,

oratio, id quod in initio disputationis fieri ante omnia oportet. ROB. Laudo firmamentum disputationis quod posuisti, & modum: at effudi tibi, quæ possent ipsam disputationē infirmare, vt ne res temerè tractemus turbidas: propterea si me in respondendo rudem inueneris, ne inertiæ condemnes, qui onus nostris viribus impar antè cognoram. Sed iam ad rem veniamus. Lex ista quidem nostri futuri sermonis quam imposuisti, mihi probatur: sed te illa portenta recitandi munere fungi oportet, qui quum iampridem rerum fermè omnium initia octo libris prodideris, & ad Anglicam historiam scribendam aggressus, multarum gētium annales euolueris, facile memoria tenes, quicquid ad institutum colloquium pertineat: ego verò prodigia, aut euentorum causas quærere, minus laborabo, eiusq; rei te monitum volo, vt ne mihi tantū sumere videar, qui quod fortasse latet obscuritate inuolutum, ausim planum facere: dicam tamen appositè id quod sentiā, de ijs quæ à te breuiter percursa fuerint. Cæterùm tu exordire explicare, quæso, prodigia, quæ apud mortales obseruata, autores grauissimi monimentis mandarint. POL. Rectè quidem te imperatorem geris, qui adeò bellè officia alijs scis partiri, vt de ijs nihil tibi reliqui facias. quando ais nolle te laborare de interpretatione prodigiorū, perinde quasi aliquid laude dignum

esse poßit sine labore: verumtamen quia intelligere videris à te tantũ postulari, vt dicas quod sentias, ipse quod mandasti, munus obibo, quum iam vacuum tempus & liberum nobis tribuatur: si primùm mihi illud innueris, à quibus temporibus recitandi exordiũ capiendum sit. ROB. Censeo à primis quoniam ita fieri oportere, ipsa natura docet: quippe quotidie vsuuenit, vt vnusquisq; que ante ora videt, negligat, ac sic rerum memoriam æqualem ætatis suæ minus attẽdat, minus respiciat, minus consideret. Itaq; sic altè orsus iam iuuante Deo voce præito. POL. Illud porrò post hominum memoriam prodigium inauditum extitit, rubum flagrare, ac, vt in Exodo est, nulla ex parte comburi: indeq; vocem editam, qua Moses iussus est ire cum Aaron fratre suo in Aegyptum, accersitum in patriam Hebræum populum. Sed vel aliud multo mirabilius, quum Aaron coram Pharaone, virgam quam gerebat in colubrum, & fluminis aquam in sanguinem vertit, induxitq; per omnẽ Aegyptum ingentem ranarum multitudinem. Age, iam tuum fac officiũ: causas elice prodigiorum istorum, ac de euentibus edissere. ROB. Magnus nempe es rerum artifex. POL. Quamobrem? ROB. In longum me vocas sermonem, cogisq; vt iamiam me dem ad omnem diuinandi rationem exponendam, si voluero mysteria tuæ

primæ

primæ quæstionis diligenter quærere. Hic tria diuinationis genera complexus videris, diuinū, artificiosum, et naturale. Diuinatio, diuina semper veritate dirigitur, cuiusmodi Moses & prophetæ reliqui vsi sunt, qui diuino afflati spiritu, futura prædixerunt, miraculaq; ediderunt, quò mortales facilius adducerentur, vt suis prædictionibus fidem tribuerent. Ita Moses per flammam in rubo minimè consumpto versantem, præsensit futurum, vt populus per legem, quam flamma illa significabat, haudquaquam purgaretur peccatis, quæ instar spinarum rubi pungentia faciunt, vt saltem appropinquante morte, eos qui secus quàm decuit vixerunt, delictorum suorum tum maximè pœniteat: quia animus, teste Cicerone, id temporis multo diuinior est, quum præsagiat sese breui à societate & contagione corporis seuocatum, atq; ita multo magis perpetuatum iri. Et hoc ad primum tuum rogatum. POL. Rectè quidē, at perge modò. ROB. Ego verò pergam. Alterum diuinandi genus artis est, quod ad auguriorum, auspiciorum, monstrorum, sortium, & fulgurum interpretationē aciendam valet. arte enim haruspices, augures, sharioli, & vates armati, aut ex volatu auium quæ præpetes dicebantur, aut ex cantu earum quas oscinas vocabant, aut ex gustu (si enim escam non caperent, tum mali alicuius signifi-

cationem fieri augurabantur) aut ex colore defectu, mutationéve extorum animalium, futura prædicebant. POL. *Bona, vel mala?* ROB. *Me aliò traducis, impedimentoq́; es, quò secius pergam: sine, quæso, reliqua explicem, ne hæc quæ incurrunt succisiua tempora, rebus non nostris dare videamur.* POL. *Sino: sed hîc de te peto, quid sit ista diuinatio, quo nostrum seruemus institutum, vt nihil prius tractare incipiamus, quàm quid sit, declaretur.* ROB. *Non ego, sed aruspices, sed augures definiunt diuinationẽ esse earum rerum, quæ fortuitæ ac futuræ sint. Fac ergo sic esse, tum dices: Si quid fortuitum est, id casu aliquo non eueniet: sin futurum, & quia in fortuna positum est, potest impediri, vt ne accidat. Ac ita relinquitur, vt diuinatio sit nulla præter diuinam: nisi velimus eam appellare coniecturam, quod fateri haruspices, augures instar mortis putant, & coniecturam inquam temeritatis plenam, de qua suo loco plura dicã. Nunc ad rem. Sequitur alterum prodigium, siue monstrum. Monstrũ vtiq; fuit, cernere subitò ex virga colubrum obrepere, atq; fluuium cruore fluere. Hoc mehercule apud veteres, artis erat: at apud nos, idem spiritus qui miraculum edidit, planum fecit, quid portenderet: virga enim, autore Origine, homilia quarta, in Exodum, crucem Christi significauit, quæ à principio con-*

temptui

temptui habita, mox in serpentem animal, teste
Euangelio, prudens versa: hoc est, vbi cognosci
cœpit, in pretio fuit, euertit Aegyptiorum, qui re
cta non saperent, inanem sapientiam. Item in-
fecit flumina sanguine: quia vbi mundo illuxit,
à nocentibus pœnas exegit, secundum illud: O-
mnis sanguis qui effusus est super terram, à san
guine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ,
requiretur à generatione hac. Tertium diuina-
tionis genus natura inuenit, quòd ea duce, som-
niemus: quia quum iacet corpus dormiẽtis, tum
animus qui diuinus est, præterita meminit, præ
sentia cernit, futura præuidet: & instinctu fla-
tuq; diuino vaticinamur, id quod apparet in
poëtis, qui quadam animi concitatione mira ca-
nunt. Ex quo Democritus negabat, sine furore
posse esse poëtam. Sed age, iam ad tertium ra-
nunculorum ostentum veniamus, quò tuã quæ-
stionem tandem aliquando absoluamus. Totam
Aegyptum immanis renarum copia occupauit.
Ecquid illud portendit aliud, quàm damnum,
quàm molestiam, quàm labem miseris incolis?
inest enim ranis quædam natura significans ali
quid: quippe quæ impendente procella aliqua, so-
lent in ripas exire, atq; multo magis clamitare,
vnde agricolæ præsentire possunt futuras tem-
pestates: sed cur ita fiat, non item videre, quum
id sit in naturæ arcano inclusum. Atq; hæc na-
turalis

turalis diuinatio. POL. *Præclarè equidem: ſed ad rationem inſtituti ſermonis commodius duxerim fore, ſi non grauabere repetere, cuiuſmodi in primis ſint artes, quæ in naturali diuinatione verſentur, & quatenus, quò probè conſtet nobis innatam eſſe prædictionem iſtam, citra omnem ſuperſtitionem: quæ aliud non eſt, quàm importuna ineptaq́; religio, non item vera & ſancta, quando, vt hæc deos colit, ita illa violat: quam ſuperſtitioſi obſeruabant, qui (teſte* Cicerone) *totos dies precabantur, & immolabant, vt ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent.* ROB. *Nunc dato reſponſo ad ea quæ propoſuiſti, magis ſurgendum nobis puto, quàm ad eam partem ſermonis ex qua egreſſi ſumus, reuertendum.* POL. *Conſideamus adhuc hîc in vmbra, extrahamusq́; tempus parumper, oro, dum ſe calor frangat, diſſeramusq́; aliquid, quod ſecundũ naturam ſit. nam cũ in ea re nihil fucoſum, nihil tectũ, nihil affectatũ exiſtat, haud ſcio quicquã animo pergratius, perq́; iucundius eſſe.* Præterea *ſi ſermonẽ cùm vtilem tum honeſtum interruperimus, voluerimusq́; poſtea ad illum rurſus aggredi, futurum video, vt vterq; noſtrûm ſummè animi pendeat, quũ nemo homo quamuis magna ingenij ſit acrimonia præditus, tam facilè contexat interrupta, quàm abſoluat inſtituta.* ROB. *Non eſt, video, quòd onus recuſem: ita me vrges: tametſi illud*

in pro

in proximam nostram confeßionem reseruari commodum poterat, itaq; tibi morem geram. POL. *Atqui ego ista audire perquàm cupio: ordire igitur.* ROB. *Prudentia vnica virtus humanæ vitæ maximè necessaria, variè à multis definitur: sed nos aliorum sententijs breuitatis causa omißis, Ciceronem sequemur, qui primò de Officijs libro ait, Prudentiam esse rerum expetendarum fugiendarumq́; scientiam. Qui ergo scit ea sequi, quæ sibi bono, & declinare quæ malo fore ducit, is meritò prudens dicitur. Ea autem cura iustè omnibus suscipienda est, qui velint officium suum facere, vt ne viuant more belluarum, quæ non nisi præsentes cernunt casus. Hinc nascitur illa naturalis pariter præsensio, atq; diuinatio. pro se quisq; enim sui custos, adiutor & defensor esse debet: ex qua re oritur cautio. Exempli gratia: Cùm volo cauere, quæ obesse poßint, incipio obseruare hominum mores, tempora, naturam loci in quo habito: ex obseruatione, præsentire: ex præsensione, diuinare, quid inde futurum sit. Itidem facio, si quid boni exopto, sic vt nullo negotio & commoda & incommoda prospiciam, præuideam, coniecturaq́; augurer, atq; ita prudens rectè sciam me regere, gubernare, custodire. Verùm qui alijs præsunt, eos maior cura consulendi sibi, & suis tangit. Hæc si approbas, pergam ad reliqua.* POL.

Nihil

Nihil suprà. ROB. Natura continenter varia edit signa, ex quorũ obseruationibus, quarundã artium rationes initæ sunt, vt qui eas exercent, poßint multa prospicere ad seipsos pertinentia. Siquidem ducis copiarum ituri ad bellum interest, viæ pabuliq; causa obseruare ver nouum, quod aduentu hirundinum, lusciniarum, turturum, primùm præsentit: item tempus hyemandi, id quod grues abeuntes indicant: & interim annonæ rationem habere, vt exercitus ne fame omni ferro longè sæuiore, suffocetur. qui facilè istuc futurum ex nuce præsagiet, autore Poëta:

Contemplator item, cũ se nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olẽtes:
Si superãt fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.
At si luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquã pingues paleæ teret area culmos.

Cæterùm nulla magis ars eiusmodi signorum significatione iuuatur, quàm rustica atq; nautica: quando ex vtriusq; vsu summopere est, futuras tempestates bonas æquè vt malas prænoscere. Enimuero in agricultura nihil nõ tempestiuè agendum. Ita Cato suum villicum admonet, inquiens: Opera omnia maturè conficias face. nam res rustica sic est, si vnam rem serò feceris, omnia opera serò facies. Hæc ille. In nauigando

gando non parum ſemper cauendum periculum mortis: quod tantum abeſt, quãtum tenuis ligni craſsitudo patet. Ex *quo nõ ineptè* Bias *agebat, nautã neq; inter mortuos, neq; inter viuos eſſe.* Ergo *non ſine cauſa ſignis* Solis & Lunæ, *atque animalium præſagionibus, artes iſtæ ſunt effectæ.* Sed *iam vtamur noſtro* Verg. *teſte:*

Si verò Solem ad rapidum, Lunasq́; ſequentes
Ordine reſpicies, nunquam te craſtina fallet
Hora, nec inſidijs noctis capiêre ſerenæ.
Luna reuertentes quũ primùm colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis, pelagoq́; parabitur imber.
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento ſemper rubet aurea Phæbe.
Sin ortu in quarto, nãq; is certiſsimus autor,
Pura, nec obtuſis per cælum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactũ ad menſem, pluuia ventisq́; carebũt,
Votaq́; ſeruati ſoluent in littore nautæ.
Sol quoq; et exoriẽs, et quũ ſe cõdet in vndas,
Signa dabit, Solem *certiſsima ſigna ſequẽtur.*
Et quæ manè refert, & quæ ſurgẽtibus aſtris.
Ille vbi naſcentem maculis variauerit ortum,
Conditus in nubem, medioq́; refugerit orbe,
Suſpecti tibi ſint imbres.
Cæruleus pluuiam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni.

Omnia

Omnia tum pariter vento nimbisq; videbis
Feruere: non illa quisquã me nocte per altum
Ire,neq; à terra moneat conuellere funem.
At si quum referetq; diem, condetq; relatum,
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis.

Ea omnia vel animalia quædam præsagiunt, dantq; certa tempestatum signa. Idem:

-Aut bucula cœlum
Suspiciens,patulis captauit naribus auras,
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo,
Et veterem in limo ranæ cecinêre querelam,
Tũ cornix plena pluuiã vocat improba voce.

Item delphini,mergi, grues,corui, teste Plinio, *præsagiunt. Quin medicina ex signis duntaxat naturalibus,de vita pariter ac morte ægrotantium iudicium facit:quũ præsertim venæ æquis seu nõ æquis interuallis mouentur. quod vt istud mortiferum, ita illud salutare sit signum.*Iam *tota naturalis diuinatio pertractata est;cum rerum euentis.* POL. Benè *certè: sed euentorum ipsorũ causas nobis quoq; quærendas existimo.* ROB.*Ain tu hoc quærendum?*Adde,*cedo, à quo etiam quærendum sit.* Sanè *vẽtorum, imbrium morborum,signa quæ dixi,quam habeãt rationem,nõ satis perspicio, vim autem & euentum non ignoro.*POL. Nõ *equidem ista desperantur à nostris astrologis, vel philosophis, qui etiam rationẽ reddere sciunt,quæ causa sit, cur* Iupiter

in sua cœlesti sella sedendo, interdum dextrum pedem super sinistrum reponat. ROB. *O miram memoriam: tute à principio lege excepisti, ne hasce illorum hominum ioculatorias obscuritates, futilesq́; subtilitates nostro sermoni misceremus: & nunc videris non imprudens in eas pestes collabi.* POL. *Verißima sunt quæ memoras. nam mihi, fateor, iam exciderant: ad nostra iam redeo. Mittamus Solis ac Lunæ signorum rationem perscrutari, & hoc loco vsurpemus illud Socratis scitum: Quod supra nos, nihil ad nos. Et si libitum sit, peruestigemus quid sit, quamobrem animalia præsentiant futuras tempestates, atq; inde apud mortales variæ hariolationes increbuerint.* ROB. *Faciam Polydore vt vis, tametsi scio me in re difficili ac multum & sæpe quæsita versaturum: quia sunt qui suspicati sint, eas bestias diuorum interpretes esse, quando homines minus per se futuram aëris qualitatem sentientes, ab illis obseruando colligunt, percipiunt, prænoscunt.* POL. *Hinc igitur videre licet, præ brutorum intelligentia, nostram in hac parte consenescere.* ROB. *Id nequaquam: nobis enim innata est naturalis prudentia, qui nostro iudicio aut læti, aut tristes sumus. id quod in ista animalia cadere nequit, quæ nihil per se perspicientia naturam aëris sequuntur, cuius instinctu impetuq́; modo gemunt,*

modò garriunt, modò lasciuiunt, modò cõcinunt. Sed audi nostrum Vergilium, hãc tibi quæstiunculam similiter proponentem, ac declarantem:

Haud equidem credo, quia sit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.
Verùm vbi tẽpestas, & cœli mobilis humor,
Mutauêre vias, & Iuppiter humidus austris
Dẽset, erãt quæ rara mõ, et quæ dẽsa relaxat,
Vertũtur species animorũ, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. hinc ille auium cõcentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

POL. *Latuerúntne hæc veteres?* ROB. *Minimè, opinor: nam Vergilius, cuius tibi testimonium citaui, non vtiq; heri aut nudiustertius fuit, qui plus doctrinæ attigisse, quàm quiuis mortalium fertur.* POL. *Et tamen putabant aues euentus significare aduersos, secundósve?* ROB. *Putabant equidem, quando rem nullam administrari, nisi auspicio volebant.* POL. *Quî fieri potuit, vt illi prisci mortales alioqui sapientißimi, in hanc delyrationem incredibilem collapsi sint? Quid respicis? exprome, quæso, tantæ stultitiæ causam.* ROB. *Respicio tuas bellißimas illecebras remorandi me hic ad vesperum, nam vni semper inceptæ rei præuertis alteram. Arbitrarísne parui esse negotij expromere causam tanti erroris, qui sapientißimos*

quosq;

quosq; viros olim miserè infatuarat? An me vnum ex illis scabiosis sophistis esse putas? qui quum ab ineunte ætate sese dederint ad perdiscendas captiones verborum, verborum inquam barbarorum, in eis enim omnis linguæ tam Latinæ quàm Græcæ ieiunitas existit: & postquam artem quam vocant, credo sophistariam, perbiberint, tum tanquam omni doctrina cumulati in scholis aßident, dicereq; audent: Si quis velit quid quærere? perinde quasi nulla sit res tanta, tamq; improuida, de qua ipsi non sint dicturi, quicquid dici poßit. Sed ecquid dices, si ostendero teipsum id iampridem prodidisse, quod à me explicari petis? POL. Mihi illud antehac ne somniasse quidem venit in mentem. ROB. Cretensis, quemadmodum video, nescit pelagus, vt aiunt. Sic bellè dißimulas, non quò omnino illudas (nam te hominem bonæ frugi esse non ambigo) sed vt me tuæ laudis buccinatorem audias. Itaq; postquam ita tibi cordi est, volo id eo confidentius facere, quod ipse sic velle videris. Tu enim libro de Inuentoribus rerum quinto, peritè porrò docuisti, quàm dæmones, præsertim ante Christi Seruatoris nostri aduentum, multas nocēdi artes habuerint, quamq; multijugibus respōsorum fallacijs miseros mortales petierint, deluserint, perdiderint. POL. in hoc admodum delector optimè Roberte, quod

nostra tibi scripta minimè sordeant, in quibus, vti video, libenter versaris: sed perge, amabo te, vt ne puncto quidem temporis, nostri sermonis seriem interpellemus. ROB. Primum omnium satis constat, dæmones esse spiritus à Deo olim in cœlo creatos, aëriaq; habere corpora, vt Apuleio Platonico, ac diuo placet Augustino, ipsos Platonicos in hac parte secuto: qui ob superbiam inde deiecti, partim in terræ infimo, partim in aëre versantur, nocendi semper cupidi: qui idcirco, teste diuo Augustino de dæmonum diuinatione, & sensu & celeritate omnes animantes longè antecedunt. Sed ante illum Plato in Epinomide, eorum naturam sic descripsit: Dæmones genus aërium in terra, mediaq; regione collocatos, colere debemus. Et quamuis hi dæmones prope nos sint, nunquam tamen nobis manifestè apparent: prudentiæ mirabilis participes sunt, acuto quippe ingenio, tenaciq; memoria, cogitationes nostras omnes cognoscunt. Verùm tu dices, Plato ibi de bonis loquitur dæmonibus. At malos quoq; idem ponit, cùm alibi, tum epistola quadam ad amicos Dionis, qua docet, vsq; eò cum rebus Siculis bene actum, dum Dionysius iunior de ipsius Dionis sententia, eas administrarit, & illum postea deprauatum pessimè egisse, inquiens. Nunc autem siue quis dæmon, siue perniciosus aliquis ijs sese obijciens,

ciens,

ciens, iniquitate & impietate cuncta peruertit, rursusq; perdidit. Hæc ille. POL. Sunt ergo dæmones vel boni & mali? ROB. Sunt. POL. Alterum tibi non concedunt Peripatetici, quorum princeps, vti ipse scis, fuit Aristoteles, qui dæmonum non meminerunt: alterum non admittit Augustinus, vt est in libro de Ciuitate Dei nono, qui vult dæmones apud nos, in malam semper partem acceptum iri. ROB. Magnos quidem adducis autores, at vtrunq; defendam. Sunt inquam dæmones, quorum sexcenta in dies singulos existunt opera, quæ natura rerum vlla nequit efficere, tametsi multo sanè est efficacißima: sed ne tempus teramus, illud apertè docebit errorem eorum, si qui sint, qui negent. Vidi ego, imò nemo non quotidie videt, hominem à dæmone prehensum, agitatumq;, effundere ea quæ nunquam audiuit, & id aliena lingua, quam nunquam didicit. Hoc nisi dæmonibus, est quisquam omnium qui audeat aßignare? Quòd autem dæmones bonos more priscorum vocitamus, de ea re haud laborare oportet, id quod parui refert: placet sequi veteres philosophos, quando nos etiam angelos æquè bonos atq; malos dicimus. POL. Ais igitur bonos & malos esse dæmones? ROB. Prorsus, quemadmodum antè dixi. POL. Ecquid muneris apud Deum obeunt? ROB. Mali

enim iuſſu Dei, *ab improbis ſcelerum pœnas exigunt.* Ita *miſit* Deus *in* Aegyptum, *vt eſt in* Pſalmo LXXVII. *iram indignationis, immiſſiones per angelos malos.* Illud *verò alterum dæmonum genus ſaluti hominum ſtudet: & vtrunq; diuus* Ioannes Chryſoſtomus, *homilia tertia, de patientia* Iob *teſtatur.* POL. *Dubito de iſta tua definitione miniſterij dæmonum, quia nemo homo neſcit bonos fuiſſe dæmones, qui ierint perditum* Sodomam: *proinde ſi vis vt tecum conſentiam, rem ſubtilius explicato.* ROB. *Vt ne ambigas, ſubijciam quod ſatis dictum vel ab* Auguſtino *habemus.* Malus *itaq; dæmon poteſt aduerſus malos homines, velut in ſuum gregem, niſi prohibeatur: aduerſus bonos non item, niſi* Deus *permittat: & id quidem non ad perdendum, ſed ad probandum.* Propterea *malus dæmon* Iob, *viro animi vitæq; integerrimo poſtquam omne eius peculium conceſſu* Dei *corruperat, nuntium ruinæ attulit.* Ac *ita* Deus *per dæmones pariter bonos atq; malos, modò iuſtos homines, modò iniquos tentat, caſtigat, punit: ſed vt hos pœnis æternis, ſic illos calamitatibus minus diuturnis afficit, quò de eorum probitate certum fiat periculum.* Iam, *credo, miniſterium dæmonum iuxtà mecum tenes.* POL. *Quid ergo? ſciúntne per hoc futura?* ROB. *Sciunt nempe.* POL. *Minime*

tibi

tibi assentior, qui planè credo Chrysostomo. is enim in Euangelium Ioannis, homilia XVIII. de ea re ita loquitur: Prædictio futurorum immortalis Dei duntaxat opus est. Quod si aliquando dæmones aliquid prædixerunt, stultum & incautum vulgus deceperunt, eorum namq; vaticinia paßim falsa deprehēduntur. Hæc ille. ROB. Ego quoq; tantum à Chrysostomi sententia non absum, vt etiam maximè probem. Sciunt, inquam, dæmones in primis, quæ ipsi machinaturi sunt, & futura quædam, vtpote quasi in procinctu, non aūtem longo pòst tempore euentura. Exempli causa dictum sit: Superiore æstate, quemadmodum audisti, cùm ingens bellum in terra Italia arderet, inter Carolum Cæsarem & Franciscum Gallorum regem, essetq; cum ipso Callo in fœdere Clemens Romanus pontifex, venit in mentem Carolo duci Borboniensi, qui Cæsaris copias ducebat, Clementem aliquo incommodo de improuiso afficere, quò ille cogeretur amicum Gallum deserere. Itaq; Borboniensis magno cùm Hispanorum tum Germanorum peditum numero instructus, ex agroq; Placentino profectus in Hetruriam descendit, prædicans se bellum Florentinis facturum, quòd illi etiam Gallorum partes sequerentur, vt sic suum consilium artificio tegeret: qui vbi eò peruenit, omissa via quæ

Florentiam ducit, primo quoq; die Senas se contulit, illincq; Romam approperauit, quò cum omnium opinione celerius venisset, facile eam rebus omnibus imparatißimam offendit, primoq; impetu cœpit, vbi loci ipse occubuit. At milites victoria vsi, Vrbem occupant, Clementemq; arce diui Angeli includunt, qui paulò pòst sese in eorum fidem permittere coactus est. Ad proposita redeo. Dæmones igitur potuerunt ex tanto rerum motu, & alterius partis studio vehementi præsentire ac prædicere, breui futurum vt vrbs caperetur: sed illud haudquaquam ante, quàm Borboniensis id consilij cœpisset Romæ inuadendæ. POL. Rem iam teneo. ROB. Expecta, dum concludam, si vis nihil ambigi. Sic dæmonum malitia, vti diuus Ambrosius in Euangelium Lucæ ait, etiam occulta deprehendit. nam in id illi incumbunt, vt faciant, quò mortales sibi credant, & credentes fallant: quando tali sunt natura, vt nihil eis sit antiquius quàm dolis, quàm machinis, quàm fallacijs ac præstigijs mortales continenter circumuenire, in errationemq; trahere: quanquam, vti te demonstrasse significaui, eos dolos, machinas, fallacias, præstigias, iampridem Christus præstrinxerat. POL. Cur non potius sustulerat? ROB. Quia Deus, sicut Origenes homilia XIII. super Numeros testatur

ſtatur, non vult id dæmonum genus ante tempus damnare, qui apud Matthæum Seruatorem rogabant, ne ſe ante tempus torqueret. POL. An ex vſu noſtro non foret, ſi ſpiritus tam malefici exinanirentur? ROB. Haudquaquam puto: præſtat enim vt eiuſmodi hoſtes ſint, qui dies noctesq; nos oppugnent, in certamenq; vocent, quum teſte Apoſtolo: Non coronabitur, niſi qui fortiter pugnarit. Sanè vbi certamen non eſt, ibi nulla præmij, nulla victoriæ ſpes exiſtit. POL. Plena manu rem attigiſti, ſed vtinam iſtorum dæmonum malitia nequitiaq; ad nos aditum haberet aut difficiliorem, quò nobis per eam in animi ſecuritate, in qua vitam iſtam pono beatam, acquieſcere liceret: aut ſi ita facto opus eſt, longè faciliorem, vt ex acri certamine lætiorem reportaremus victoriam, poſtquam pro ſe quiſq; pugnando animosè reſtiterint. ROB. Neutrum in rem noſtram eſſet: ſi enim dæmones inhiberentur, ne ad nos tentandos aggredi poſſent, illi contrà atq; eorum natura eſt, facere cogerentur, ac ita ante tempus damnarentur, id quod Deus non vult. nam teſte Origene, in eadem homilia, damnare, eſt auferre eis arbitrij dati poteſtatem, & ante tempus inferre iudicium. Sin pro ſuo iure integrum eſſet ſæuire, perbreui tempore omne humanum

genus perditum irent. Igitur Deus *perinde ijs malis spiritibus ac bonis, nostræ salutis causa, interdum vtitur.* POLYD. *Vtitúrne* Deus *etiam malis?* ROB. *Vtitur, inquam.* Verbi *gratia:* Deus *olim per malum dæmonem, vti antè ostendimus, patientiæ* Iob *periculum fecerat.* Item *si malitia, inuidia, & proditio* Iudæ, *in quem, vti ait* Ioannes, *ingressus erat* Satanas, *non fuisset, crux Christi, quemadmodum idem* Origenes *homilia* XIIII. *affirmat, non extitisset, vnde nostra manauit perpetua salus.* Transeamus *ad alia.* Isti *ergo dæmones mali, partim natura corporis aërei, partim longo rerum vsu, nam diutius viuunt, longè scientißimi, quum à primo animaduerterint homines rerum futurarum notionis cupidos, duce natura, obseruare animantium corporum vocumq; motus, quibus coniectura augurari futurum aliquid possent, tales fecerunt fallacias, vt cùm animantes ipsæ aut insolitis volatibus, aut garritibus tetris signa miranda darent, illi dementer eiusmodi signis adducti, artem augurandi vanitatis plenam confecerint, qua tam superstitiosè quàm aniliter futura quærerent. Quod institutum dæmones augendum existimantes, quum postmodum mali aliquid terris populísve impendere præsentirent, ita in hominum animos inducebant,*

cebant, vt facilè crederent illud ipsum malum deorum suorum nutu, sibi per ea formidanda animantium signa, aut voces ex simulacris diuinitus, vti rebantur, editas, indicari: qui sic dementati ex suis obseruationibus, quicquid inde commodi accipiebant, se à dijs prius monitos, item prosperitatem habere putabant, quòd malum antè cognitum facilè declinari soleat. POLYD. *Ita homines à cacodæmonibus moniti, malum omen auertebant?* ROB. *Me interpellas: nunc & quæ tu audire, & quæ ipse referre habeo, attende potius, quia paulò pòst intelliges ea monita bono non fuisse credentibus. Item miseri mortales dijs illis mandentibus. Item miseri mortales dijs illis fidem ac honorem habere, eosq́; in familiaritatem recipere cœperunt. Itaq; memoriæ proditum est, Numam Romanorum regem nympham Aegeriam, Q. Sertorium ceruam Dianæ, vt prædicabat, numine afflatam consultricem, & Socratem dæmonem consiliarium, quem Apuleius Deum appellat, habuisse.* POLYD. *Bestiam deam, & dæmonem Deum ecquis vnquam dixit?* ROB. *Sertorius, & Socrates.* POLYD. *Quid boni igitur ab illis ambo consecuti sunt?* ROB. *Id scilicet, vt iste nihil suo iuuante Deo, coactus sit vitam finire veneno: & ille nullo suæ deæ monitu edoctus, domestica fraude perierit.*

perierit. POLY. *Eo præmio dij gentium remunerabant ſuos cultores?* ROB. *Non ſanè alio, & id porrò haud occultè: ſiquidem, vti tu libro de* Rerum *inuentoribus quinto luculenter demonſtraſti, humanas hoſtias ſibi immolatas volebant.* POLY. *O perniciosſam æquè* Deorum *humani ſanguinis ſitim, atq; mortaliũ amentiam, iniquitatemq́;, ſi paricidas colere libuerit, quos ipſi ſuis legibus ſupplicio mactandos, nõ item colendos iam inde à principio ſanxerant.* Sed *dicet aliquis.* Iſtud *faciẽdum erat, quo maius auerruncaretur periculum quod iam ſupra caput eſſet: quando ſatis conſtat, teſte* Dionyſio Halicarnaſeo, Iouem *&* Apollinẽ *magnis affeciſſe* Italiam *cladibus, quòd decuma hominum ſibi non fuiſſet immolata: &* Publium Decium *patrem,* Romanum *conſulem, ac deinde* Decium *filium acie inclinante, ſponte ſe atq; hoſtes dijs manibus ex diræ ſuperſtitionis inſtituto, omnib. deuouiſſe precibus.* ROB. *Pulchrum ſanè per tempus exemplum dæmoniacæ fraudis narraſti: nota tempora infelicia, quibus humanæ mentes dæmonum præſtigijs captæ, nefaria ludibria non cernerent.* Eſt *operæ pretium hîc cognoſcere dæmonum ſimul inſidioſas artes, &* Romanorum *hominum cæcitatem, qui crediderint* Decium *patrem, vt de filio taceamus, bello* Latino *potuiſſe ſecum hoſtes*

deuouere,

deuouere, in quos nullum ius ille habuerit. Atqui haud dubium fuit, non oportuisse Decio cadente, Latinos cadere: qui vbi Decius est telis obrutus, non signa sua deseruere, sed vsq; eò restiterunt, dum non paruo demum T. Manlij alterius Consulis negotio, fusi fugatiq; sint. POL. Fortasse vates aliquis excantauit eos à Decio incantatos? ROB. Nego, vt dixi, Decium potuisse Latinos carminibus ad interitum trahere, quando incantamenta apud priscos, tametsi omni superstitione refertos, semper in quæstione fuit, valerent'ne aliquid. Apud nos verò dubium non est, quin nullius sint momenti, id quod lex, quod religio, quod ratio docet: quæ idcirco de patrum sententia, iampridē damnata sunt. Quapropter expedit vt ea missa faciamus, ne prophana sacris miscere videamur. POL. Non intermittas, quæso, parum disputare de istiusmodi incantationibus, quas audio non vsq; eò improbatum iri, quin liceat Dei nomine interdum vti. ROB. Nihil est, video, quòd moremur diutius, adeò vrges. Itaq: ex tuo Plinio, vt ne sacros autores in rem ridiculam demus testes, tute haurito, quæ de me quæris: ille enim libro Naturalis historiæ xxvij. bonam eiusmodi deliramentorum partem ponit, tantiq; facit, vt ad extremum ita concludat: Sed in prodendo obstat ingens verecundia, in

tanta

tanta animorum varietate. Quapropter de his, vt libitum cuiq; fuerit, opinetur. Homo ſanè prudens non putauit ſic à veritate recedendum, vt ſe autore in poſterum tempus, eius vanæ obſeruationis cura alios tangeret. Veruntamen certum habemus, in veterum animis inſediſſe ſemper opinionem, vel potius ſtultitiam, quæ etiam nunc permultos amentes tenet, vt crederent poſſe ſe cælum pariter atq; terram verbis quibuſdam, ad carminis ſimilitudinem compoſitis, mouere. Vergilius:

Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.

Item:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Cato de re ruſtica, luxata membra hac cantione ſana fieri tradit: Donata, daries, dardaries, aſtararies, *& reliqua.* POL. *Bone Deus, Cato vir tam ſapiens, duxit animo iſtam cantionem, verbis nihil ſignificantibus compoſitam, valere aliquid, ad mouendum Deum?* ROB. *Ita eſt. M. quoq; Varro haud extra talem culpam eſt, qui affirmat carmine ſanari podagras. Marſorum, qui Italiæ populi ſunt, cantu ſerpentes contrahi, vulgò tradiderunt. M. Seruilius Nouianus in lippitudinis metu, duabus literis Græcis α, & ρ, chartam inſcriptam, lino ad collum circumligatam ferre conſueuerat.* POLY. *Iſtud profectò inſtitutum*

haud

haud obsoleuit. quippe sunt bene multi à nefarijs magistris ita instituti, vt pro certo quasi habeant se valentes fore, si verba Euangelica, vel psalmum aliquem eodem modo gestarint. ROB. Verum nempe dicis: sed illi nihil veri sapiunt, qui perinde quasi præ literarum notis, non sit in scriptura sacra quicquam aliud attendendum, spes suas in ope diuina minimè ponentes, tantam vim in chartis inesse credunt. Sanè Christus voluit suum Euangelium publicè prædicari, non quò mortales muta scripta manibus ferrent, sed eorum sensa mente perciperent, memoriaq́; tenerent, ac agerent quod per ea iußi essent, hoc est, à Deo tam corporis quàm animi salutem expectarent. POLYD. Bene reprehendis, beneq́; admones. Cæterùm quotusquisq; est, qui contemptui artem habeat, in qua doloris magnitudine aliquando eiulans, repererit auxilium, quod dies noctesq́; exclamauerit? Illud mehercules est, quamobrem etiamnum sint, qui incantationibus fidem ex eo minus abrogent, quòd compertum habeant eas leuare ægrotantes: nam in emißione sanguinis ex naso. vel ex vulnere, præsens remedium carmen esse solet. Sic Homerus scribit, Vlyssem accepto vulnere in femine, profluuium sanguinis cantatione cohibuisse. Ita dolor capitis, ita dentium, ita febris sedatur, mitigatur,

tollitur. ROB. Sed quota pars laborantium morbis leuatur? POLYDOR. Bene magna. ROB. Quare non cuncti, qui ad eos maleficos medicos, incantatores, confugiunt? POL. Isthuc perinde me fugit: ac certò scio, incantamenta nonnunquam esse ijs leuamento, qui morbo quopiam tentantur. ROB. Ain te certum scire? Num constat tibi de morbi aut doloris longinquitate, grauitate've, seu subita leuatione? Nam id sæpe accidit in corporibus affectis. Quod si non affirmabis, affirmabis autem nequaquam, ni volueris sponte mentiri, quæram ex te, potest'ne ita vsu venire, vt ægrotus eo ipso temporis puncto incipiat belle se habere, quum quis ad recitandum carmen aggreditur? Quod si negabis etiam: quicquam diligentiæ, quicquam curationi, quicquam deniq; naturæ tribuendum negabis. Ecquis enim sui adeò negligens est, qui quum cœperit aduersa vexari valetudine, primo quoq; die non abstineat à quotidianis cibarijs, deinde non adhibeat remedium aliquod, postremò non curet naturam corporis subleuandam purgationibus quàm multijugibus? At dices: Ante omnia recursum est ad incantationes. Fac ita esse, per hoc tamen non stat, quin leuatio morbi doloris've queat sua sponte sequi, ob abstinentiam ciborum, pabuliq;: nam in iumentis idem accidit,

cidit, quando in eorum quoq; curatione incantamentis vtuntur. Et demum esto, ea remedia iuuent, hoc est, iuuare videantur ægrotantes: remedia inquam, quæ, autore tuo Plinio, prisci illi idolorum cultores, à quibus pestifera ars manauit, negabant prodesse posse, si prius in mensa deposita fuissent, quàm adhiberentur: adeò facile inutilia fiebant. Cæterùm dico incantamenta ista iuuare nunquam, quod in ijs nil veri, nil sancti, nil firmi sit, nam incantatorum genus nemo nescit esse longè post homines natos valde impium, valdeq; improbum, ac fraudulentissimum, qui dæmonum nomine non item Dei, artem scelerate exercent, idq; pretio faciunt: qui verba ignota malitiosè vsurpant, qui notas & figuras instar Deorum simulacrorum nefariè adorant, qui variarum rerum imagines, item annulos lapidesq;, velut sacra artis instrumenta habent, qui in ligandi, soluendi, tangendiq; modo spem stolidè ponunt, & postremò confidenter petunt, plurimum à Deo minimè petenda. Nónne proinde dementis est, non modò existimare, sed somniare quicquam propitium ab istis veritatis, pietatis, ac iustitiæ hostibus proficisci posse? Neque igitur valere tam importunam artem aliter credas, quàm ad fraudem atque damnum similiter petentium ab ea auxilium:

quippe qui pecuniam dissoluunt, quò deludantur, suaq; spe fraudentur: ac ad ruinam exercentium, qui à principio per baptisma filij Dei effecti, ita tandem sese malorum dæmonum amicitiæ dant, atque deuouent: qui supra vires, contra naturam, diuinare, morbos curare conati, si tale quid præstare posse se persuadent: non animaduertunt sibi sic malè agentibus semper præstò esse dæmones, qui ipsos in maleficio detineant, vt ne aliquando resipiscant. Ac tantum abest, vt ars longè insidiosissima cuiquã prodesse poßit. Quid, quod incantatores, si quid omnino efficere posse videntur, totum id nefarijs dæmonum machinis assignandum, nemo sanè mentis ambigit? quia illi nihil non semper student, ad eorum hominum perniciem, qui à veritate recedentes, sese modis omnibus ire perditum volunt. Sic eius tetræ artis studium cum primis exitio fuit Babyloniæ ciuitati, quæ ad vltimum à Cyro rege sub Persarum imperium redacta est. Esaias capite xlvij. Venient tibi duo hæc subitò in die vna, sterilitas, & viduitas, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum. Et subijcit: Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi.

Quam

Quamobrem sapienter Moses suis Hebræis præcepit, quemadmodum in Deuter. est, vt incantatores omni tempore exterminandos curarent. POLYD. *Vicisti me propemodum his tuis multo equidem bellissimis argumentis, quibus cuncta quæ ad artem pertinent, rectè metitus, nunquam posthac incantationibus quicquam tribuam, si te pro rei obscuritate, non tædebit dilucidius docere: nam nuper demonstrasti vulgò traditum, Marsos esse solitos carminibus coërcere serpentes: nunc autem venit mihi in mentem, illud esse quàm verissimum, quando ita est in Psalmo lvij. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium. Hinc ergo videre licet, incantamenta aliquid omnino valere.* ROB. *Imò nihil, quod vno concludam argumento. Iam satis constat, istas maleficas artes esse dæmonum instrumenta, quibus illi ad nocendum duntaxat vtuntur, vbi libet, si liceat. Quippe serpentes, vt tibi ad rogatum tantum respondeamus, contrahuntur carminibus, quum Deus permittit: at non item, quum per Deum minus licet, id quod testatur Hieremias, de Hierosolymæ excidio, ita capite octauo scribens: Ecce ego mittam vobis serpentes*

mortiferos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus. POLY. Equidem satis fermè mihi ad vnguem fecisti, verùm aliud postulo. Quid, oro, causæ est, cur serpens magis cæteris omnibus animantibus obnoxius sit incantationibus? ROB. Veniat Phœbus, & tibi hos soluat nodos: aut veniat in mentem Vergilij, qui verè ait:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Hunccine modum vis tenere in disputando, vt nihil tandem concludamus? Sed ne tibi videar indoctior, quod in buccam venerit respondebo. Ferunt id supplicij constitutum esse serpenti, quòd, vt valde noxium animal, idoneus visus sit diabolo, cuius personam indueret, ad Euam primam parentem circumueniendam. Item ob illud ipsum etiam dæmones plurimum posse in Venerem, quia prima peccati corruptio, qua homo factus est particeps culpæ, nos per Venerem genitricem peruaserat. POLYD. Nihil hercle verius. nam sunt vbique gentium, qui cantionibus maleficis facile reddant quem velint hominem, multo segniorem ad Venerem: cuius sanè rei si modum scirem, permagno liberarer scrupulo. ROB. Non modum, sed pestis causam quæras: dæmon enim quum spiritus sit, potest hominē vspiā prohibere: item inflammare,

mare, languefacere, eiusq; cogitationem in qua omnis propemodum rei venereæ vis maximè consistit, sæpe auertere. Qui igitur vult hominem oppressum præstigijs istiusmodi, dæmones ad id facinus edendum inuocare necesse habet. At mulieres inprimis talibus armatæ veneficijs, permultos in dies singulos perdunt infantes, partúsve informatos suffocant, similiter fruges enecant, atq; fontes inficiunt: ac deniq; in eo maleficij genere plus multo uefariæ vetulæ, quàm virorum quisquam, valere dicuntur. POL. Cur ita? ROB. Quia mulieres partim ob animi leuitatem, sibi innatam, partim ob imprudentem credulitatem, nescio quo pacto à dæmonibus facilius hisce obligantur sceleribus. Sic Eua mulier magno suo pariter atq; suorum malo desipuit, ita volente Deo. POL. Inquis talia fieri flagitia, permissu Dei? ROB. Haud dubiè. POL. Quã ob rem, obsecro? ROB. Vbi est acumen tuum, qui ignorare videris, iudicia Dei facile nos latêre? Dicam tamen. Deus enim non vnius vel alterius duntaxat, sed vniuersorum mortalium custos rectorq; est: qui, quemadmodum natura facit, quæ ex putrefactis granis frumenta producit, permittit malum accidere, vt ex eo bonum colligat. quod testatur Augustinus in suo Enchiridio, ita scribens: Neque omnipotens Deus vllo modo sineret mali ali-

quid esse, nisi vsq; eò esset omnipotens, & bonus, vt benefaceret, & de malo. Sic nempe prouidet Deus, summum nanq; malum semper iudicatum est: vt homines per carnificum cruciatus, bestiarumq; laniatus, vitam finirent: attamen ex eo numero, Deus suos martyres perbeatos fecit. POL. *De his rectè, perinde atque satis. Sed adhuc aliud ex alio quærens rogo te, an in ijs carminibus sit modus aliquis, quem nostra non accuset religio?* ROB. *Is prorsus, quem Christus suis dedit Apostolis, apud Marcum dicens: Signa autem eos qui crediderint, hæc subsequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, serpentes tollent, super ægrotos manus imponent, & bene habebunt. Hoc in primis modò vsus diuus Petrus, Hierosolymis sanauit hominem claudum, inquiens: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Extat historiam in Actis Apostolorum, capite tertio. Eodem quoque modo Ioppe puellam nomine Tabitham, iam mortuam ab inferis excitauit: nam vir sanctus accessit ad corpus exanimum, & positis humi genibus, vbi orauit, inquit: Tabitha, surge. Paulus itidem apostolus, multis paßim tota Asia sanatis, à dæmonumq; molestia liberatis hominibus, postremò in Melita insula propter Siciliam sita, Publium hospitem suum, virum primarium,*

febre

febre & dysenteria tentatum, postquam orauerat, manusq; imposuerat, sanauit: eoq; loci viperam, à qua in manu vulnus repentè acceperat, sine vlla vitæ offensione, in ignem excußit. Sed ne multa, possem enim sexcenta referre miracula, hisce modis edita, quibus etiam nunc nostri sacerdotes vtuntur, quum præsertim volunt eijcere dæmonem, qui hominem teneat, aut ægros curare, apostolorum more, qui, teste euangelista Marco, cap. sexto, vel talis erat, vt vngerent oleo multos ægrotos, atq; sanarent. Et hic modus quem scire auebas. POL. Mirificè certè omnia: at ne vlla in re mox hæsitem, scire amplius opto: Datúrne vnicuique, vt pro suo iure affectis opituletur hominum corporibus? ROB. Datur viris æquè corporis, vt animi longè integerrimis. alijs verò si ausi fuerint, fraudi est. Sic Lucas tradit, olim malo fuisse nonnullis apud Iudæos, scribens: Tentauerunt quidam de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini IESV, dicentes: Adiuro vos per IESVM, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam filij Sceuæ Iudæi principis sacerdotum septem, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus malus, dixit eis: IESVM noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo in

quo erat dæmonium malum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Sed audi Christum ipsum de ea re apud Matthæum docentem: Multi dicent mihi in illo die, domine, domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Nunquam noui vos. POL. Cur ijs talis datur facultas? ROB. Illud tibi eò loci diuus explanat Hieronymus, inquiens: Prophetare, virtutes facere, & dæmonia eijcere, interdum non eius meriti est, qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui inuocant, & vtilitatem eorum qui vident & audiunt, conceditur: vt licet alij dispiciant eiusmodi signa facientes, tamen Deum honorent, per cuius nomen tanta edantur miracula. POL. Sunt hæc quidem magna, ad terrendos mortales, ne quid rei habeant cum cacodæmonibus: quocirca vt eiusmodi noxiæ vmbræ minore negotio à nobis caueantur, ad prima redire libet. Itaque mi charißime Robertæ, dicas, te amabo: Fallebántne semper, an vnquam ipsi fallebantur dæmones? ROB. Bone Deus quã festinas, imò atque adeò (bona tua venia dixerim) infestas, vrges, perinde quasi iam dies nos deficiat, quum Sol nõdum præcipitet, & me tamen

men præcipitem agere velle videris, Dæmonum fallacias tibi antea me patefecisse putabam: sed quia hæsitare videris, accipe eorum commentum vnum ex sexcentis, inauditæ fraudis plenum. Romæ, teste Liuio, *libro ab* Vrbe *cond. secundo, ita vsuuenit, vt ludi* Circerses *eo ipso die facti sint, quo bene manè seruus quidam à patresamiliâs cæsus est. Quare statim pòst cuidam* Atinio *plebleio homini somnium fuit, quo à* Ioue *monitus fertur, vt* Consulibus *eius nomine diceret, ludos quamprimum esse instaurandos.* Is *propterea quòd suis dictis fidem minimè habitum iri suspicabatur, tacuit: qui paucis pòst diebus filium amisit: cui deinde ob mortem filij in mærore iacenti, in somnijs illa eadem imago visa est interrogare, sat'ne magnam haberet spreti numinis pœnam, ac iam mortem intentare, nisi mandata properè exequeretur.* Ille *tamen contabatur, quum subitò est tanta affectus debilitate, vt stare non posset: tum amicorum* consilio *permotus, ad* Consules *lectica defertur, ac ad* patres *delatus, narrauit somnium.* Quo *facto, domum suis pedibus redijsse dicitur.* Ecce *dæmonum flagitium.* Eorum *aliquis præsentiens* Atinium *amissurum filium, atque mox captum membris conualiturum, ei in insomnijs adfuit, quo sic* Romanum *populum in religione maximè omnium delyrantem,*

maioribus circumfunderet tenebris. Item *audito Originem, qui super Numeros, homilia 16. breuiter cunctas ipsorum dæmonum nefarias artes prodit, inquiens :*Hæc *ergo omnia, id est, siue auguratio, siue extispicium, siue quælibet immolatio, siue etiam sortitio, aut quicunque motus auium, vel pecudum, & inspectio quæcunque fibrarum, vt aliquid de futuris videantur ostendere, operatione dæmonum fieri non dubito, dirigentium vel auium, vel pecudum, vel fibrarum motus, aut sortium, secundum ea signa, quæ docuerint ijdem dæmones obseruari ab eis, quibus artis huius scientiam tradiderint.* POLY. *Ars ergo augurandi, dæmonum inuentum est?* ROB. *Est vtique.* POLYD. *Atqui hoc non sentit* Hetruria*, quæ illud cuidam* Tagi *apud se, subitò ex terra nato, aßignat : id quod à me libro de* Inuentoribus *rerum primo est explicatum dilucidè.* ROB. *Verum dicis, dilucet eam esse fabulam.* Sic *ex lapidibus homines factos tradunt.* Vergilius:

-Quo tempore primùm
Deucalion vacuum lapides iactauit in orbẽ,
-Vnde homines nati.

Nam ante Tagẽ, *per* Mosen *lege exceptũ est, ne quis se ad huiusmodi maleficas artes applicaret, ita in* Leuitico *mandantẽ:*Non *diuinabitis, neq; augu*

augurabimini, neq; adiungemini ad incantatores. Et in Deuteronomio: Si introieris in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, non discas facere secundum abominationes gentium illarum, neque diuinans diuinatione, neque sortiens sortibus, neque maleficus, neque incantator, neque portentorum inspector. POLYD. *Ista omnia si Deus abhorret, non videtur mihi prouidentia futurorum rectè appellari diuinatio, quæ, vt Grammatici definiunt, fit à diuino verbo, quod est auguror: quia Dei proprium est, futura prædicere: nam à diuo, quod diuinum significat, diuino verbo deducitur.* ROB. *Perinde ego medius fidius in hac re tecum bellè consentio, atque cum Origine, qui homilia quam paulò antè recitauimus, super Numeros, hanc diuinandi, vt ita dicam, delyrationem, per antiphrasim diuinationem dictam existimat. Et diuus Hieronymus in Commentarijs in Micheam, cap. tertio, ait, diuinationem apud sacros autores nunquam in bonam accipi partem, quòd in ea nihil diuinitatis, sed plurimum bonarum mentium dispersitionis insit, nisi caueatur.* POL. *Vsque adeò cauendum ducis istam artẽ?* ROB. *Imò nihil magis: quando dæmones non alijs armis nos circumsident, oppugnant, vrgent, quò tandẽ victos perdant.* POL. *Perdant? vtinam non*

magis

magis nostræ affectiones damno essent. ROB. *Affectus, si volumus vti ratione nobis diuinitus data, facilè moderabimur, quum illi nos vigilantes diuexare soleant: at isti peruersi spiritus non item, qui homines alto somno sopitos fraudulenter aggreduntur.* POL. *Rem in omni memoria hominum inauditam narras.* ROB. *Sic arbitrare? sed tibi credibilis fiet, vt opinor. Nos enim quum onusti cibo & vino ad quietem imus, solemus somniare, ac somniando plurimum confusa perturbataq; cernere. Quo viso, postquam nosmet collegimus, quum interdum perterreamur, ecce tibi subitò dæmonum impulsu, illud haud pro nihilo habendum rati, non somnij causam, sed euentum stultißimè quærimus. Nónne perfidiosæ sunt eiusmodi insidiæ, & perpetuum certamen, quum per istos animorum nostrorum hostes, non liceat etiam noctu quiescere?* POLYD. *Acutè pariter atque copiosè dixisti: sed in mea permaneo sententia, longè maius nobis bellum aduersus affectiones, quàm cum spiritibus esse, quòd ij foris malum machinentur, at illæ intus continenter insidientur, quemadmodum in nostro in Dominicam precem commentariolo perspicuè docuimus.* ROB. *Tibi non adstipulatur Apostolus Paulus, qui aliud atq; tu censes edocet, ita ad Ephesios scribēs, Induite omnia*

arma

arma Dei, vt poßitis ſtare contra verſutias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. POL. *Aduerſus poteſtates, inquit Paulus? Ecquid ſibi vult hic? habéntne dæmones poteſtatem nocendi?* ROB. *Habent.* POL. *A quo?* ROB. *A ſuo principe diabolo.* POL. *Secus atque tu, ait ipſe Apoſtolus alibi: Non eſt poteſtas niſi à Deo.* ROB. *Longius quàm ſcitu opus eſt procedis, altiusq́; rerum cauſas ſic quæritando aſcendis, quàm vt nos humi ſtrati poßimus ſuſpicere. Sed ad rogatum tuum illud ſatis ſit, vt nos aliud quidẽ vas ad honorem, aliud verò ad ignominiam vſurpamus, ita dæmones iſti poſtremò facti ſunt omnium ſcelerum vaſa, qui, teſte diuo Hieronymo, talia officia ſortiti ſunt, vt eſſent rectores tenebrarum, quòd eſſe lucis principes noluerint: ac ſic ex voluntate, alij ad alias artes bonas, malásve ſeſe applicarunt.* POL. *Salſiſſimè equidem: cæterùm non committam, vt tibi cauſam deuiandi aliquã dem: ergo ad prima reuertamur. Satis accuratè paulò antè docuiſti, quemadmodum dæmones fallant: nunc reſtat, & conſequẽs eſſe videtur, vt à te expectem, quomodo fallantur,*

tur, quum ratione superæ mobilitatis, id est, aërei corporis, vti nuper dixisti, tam acutè præsentiant, vt decipi vix posse existimentur. ROB. *Non te fraudabo tam iusta expectatione. Haud semper, autore diuo Augustino, ita cadunt res, vt à dæmonibus præuidentur, quòd summi rectoris orbis consiliarij non sunt. Cuius rei exemplum sit hoc expositum. Quum imperator iubet moueri castra, omnes milites de itione cogitāt, eamq́; futuram præsentiunt: & tamen sæpenumero accidit, vt non sequatur, imperatore eodem temporis momento, ex causa mutato consilio, aliter iubente. Verbi causa: Cùm populus Hebræus, duce Mose, ex Aegypto in patriam rediens, iter per loca inculta faceret, iam tum sagaces spiritus poluêre iuxtà prænoscere atque prædicere, eum populum modis omnibus fame suffocatum iri: cùm repentè Deus pro sua benignitate suppeditauit cibum, quem mannam vocant.* POL. *Non omnia igitur isti dij gentium sciunt, quum eos prouidentiæ diuinæ consilia crebrò fugiant. Sed redde mihi, an alio fallantur modo.* ROB. *Faciā Polydore vt vis, si modò mihi in mentem venerit, multijugum illorum delyramentorum. Solent item dæmones in præsensionibus naturalibus hallucinari. Exēpli causa, recitata sit hæc historia. Quum Ezechias rex Iuda grauiter ægrotaret, & Deus*

iußis

iußiſſet Eſaiæ prophetæ, vt ei ſuis verbis mortem nuntiaret: iam tum perinde dæmones vt medici diuinare poterant, ita ſuturum, vt ille ex morbo minimè conualeſceret: quum tamen ecce Deus precibus placatus, tantum abſuit vt regem obire mortem permiſerit, vt etiam in aliquot annos ſeruarit. Falluntur præterea, cum gubernatoribus nauium, vbi ex improuiſo venti validè flantes deponunt. Ita Seruatorem ſedaſſe tempeſtatem, legimus apud Lucam, ſcribentem: At ille ſurgens increpuit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas. Item cum agricolis quoque circumſcribuntur, decipiunturq́;, vbi nutu Dei, contra atque ſigna naturalia ſignificant, ſubitò fit temporis immutatio: qualem Ioſephus libro Antiquitatis Iudaicæ decimooctauo accidiſſe tradit in Iudæa, vbi quum propter ſiccitatem iam fruges deſperarentur, præter omnium opinionem pluere cœpit, eo ipſo die, quum ſumma bene mane ſerenitas extiterit, durauerítq́; eatenus, quo ad pluuia diuinitus manarit. POL. *Sed ne plura nunc, quia iam cœnandi hora penè obrepſit, quamuis peruellem, vt breuiter de varijs diuinandi modis generatim diceremus, quò tandem tota diuinatio pertractata videretur.* ROB. *Ponis tu modos in diuinandi amentia?* POL. *Amentiam vocas diuinandi ar*

di artem? ROB. Etiam. quid enim insanius potuit hominum mentibus aspergi, quàm vt studio quærendi futura, per nefarias artes, tenerentur? quum præsertim illud ex vsu nostro non esset, si Soicis credimus, qui omnia fato fieri dicunt. Si enim sciremus futura mala, quæ nullo consilio vitari possunt, iam antè nos metu cruciando, omnis superioris vitæ fructum perderemus: Sin verò bona præuideremus, totum illud expectationis tempus graue nobis foret: & quum euenirent, minus multo grata existerent. Atque sic ignoratio futurorum vtilior est, quàm scientia, quum istud nobis modis omnibus negatum sit. Quare Plato in Timæo sentit, diuinationem à Deo datam hominibus errore mentis duntaxat affectis, & id quidem meo iudicio, rectè: vultq; prudentis esse, ea postea interpretari, quæ ab ingenio ita furente prædicta essent. Igitur in diuinatione, vti diximus, nullus potest esse modus, sed potius mentis error. POL. Perbellè argumentaris: ea de re non erit dissensio, de qua proximo libro mox plura: quanquam Aristoteles in eo libello, quem de Diuinatione per somnium scripsit, sapientis, non item insani esse diuinare probat: tu pergas, oro. ROB. Principes deuotorum sectæ habentur, quos magicæ artis peritos appellant: iȷ sese à primo dæmonum amicitiæ dant,

deuo

deuouentq́; : qua re freti, eos consulunt, deuocant, mortuos interrogant, vmbras excitant, qui necromantes dicuntur. Sunt & alij id genus malefici artifices, parisq́; flagitij affines, qui vocantur chiromantes, quòd ex linearum quæ in manibus sunt inspectione diuinent: qui hydromantes, quòd ex aqua: qui geomantes, quòd ex terra, seu figuris in terra descriptis: qui pyromantes, quòd per ignem: & qui aëromantes, quòd per aërem, id est, per auium volatus, aut procellas. POL. *Bene profectò res se habet, propterea quòd ars isthæc in primis lege vetita, iampridem apud nostros obsoleuerit.* ROB. *Credin' tu obsoleuisse? imò nimis etiam nunc viget: viget autem apud stultos, quibus tanta inest animo insulsitas ac inscitia, vt facilè credant istis nebulonibus post homines natos pessimis, qui bonam ætatis partem in eiusmodi maleficij superstitionisq́; nebulis versati, quæstus faciendi causa, vni omnia eius occulta depromere conantur: alteri prosperitatem, alij diuitias, honoresq́; futuros mendaciter promittunt, atq; sexcentas in credulos fallacias intendunt. Nam quotam putas quanq; rem euenire, prædictam ab istis? & tamen sunt qui arti fidem habeant, & præsertim infelices, vt multo infelicißimi sint, qui quum amiserint aliquid, vt de alijs taceamus casibus, nihil potius agen-*

dum putent, quàm hosce adire necromantes, & furem iudicari, sperantes dare eis pecuniam, quò sic delusi damnum suo damno addant. Illi *enim callidi impostores, postquàm intellexerunt quas bonis nudatis suspiciones iniiciat, ad quosq; crimen pertinere opinentur, tum ad artem redeunt, suos dæmones consulunt: & demum vt fraudulentissimi, neminem vnum hominem indicantes, tantum suspiciones iniectas confirmant.* Tum *miseri confirmata opinione, domum aduolant, omnia reuoluunt, examinant, huc illhuc concurrunt.* At *si fortè indicium aliquod fiat, fur've in manus incidat, id totum non* Deo *iniuriarum nostrarum vindici, neq; suæ diligentiæ, sed arti duntaxat tam stultissimè quàm vanissimè assignant, acceptumq; referunt: quæ etsi omni tempore, non modò aliis, sed ipsis artificibus inuenta est vana & inutilis, quum homines malefici in primis egestate perpetua premantur.* POL. Re*ctè sanè admones cauenda sapienter: cæterùm reliqua persequere, quàm breuissimè potes.* ROB. E*rant qui secundum artem animalium fibras, qui cantus, gustus, volatus auium notarent: qui terræmotus, fulminaq; obseruarent: qui duce natura, somnia interpretarentur: qui deniq; ex oraculis vaticinarentur.* I*sti vates responsa dabant, edocti vocibus dæmonum, qui eas varias,*

rias, confusas, obscuras & incertas, de simulacris, circa quæ versabantur, tanto artificio edebant, vt quomodocunq; exitus rei caderet, is certè prædictus videretur. POLYD. *Verè ac probè explicuisti, quæ à te expectaram. cætera in proximum sermonem nostrum reseruanda puto. Ac ita cœnatum eamus.* ROB. *Fiat quod iubes.*

LIBRI PRIMI FINIS.

POLYDORI VERGILII VRBINATIS Dialogi de Prodigijs, Liber II.

*

POLYDORVS.

FACTA *iam re diuina, sumptoq́; ientaculo, vísne sub hac vite, nostri hortuli obumbatrice, sermoni reliquo operam demus, sedentes?* ROB. *Quid ni? nam ad te ea de causa diuerti, vt quæ ad quietem animi, delectationemq́; quæruntur, in ijs acquiescerem. Et quia mihi in præsentia, cura*

pariter ac negotio vaganti nihil iucundius esse potest, quàm de eiusmodi rebus tecum conferre, quod hesterno die informauimus de prodigijs, opus libentissimè absoluendum curabo. Sed ei nihil anteuertas rogo: nam heri mirandum in modum, rem extraxisti, sic, vt minus per tuas multiplices quæstiunculas licitum fuerit, ad vmbilicum, vti dicitur, perducere. POL. *Faciam porrò quod cupis, si prius tamen vnum quæsiuero, quod omnino nostræ disputationis caput est, quomodo quis possit internoscere præsensiones, visionesq́;.* ROB. *Ego sanè sic fore animo cernebam, velle te more tuo, nouis argumentationibus nostrum sermonem plus nimio morari, interponendo quod minus aliquando ad rem nostram conueniat.* POL. *Nihil institutum sermonem moror, nec ei quicquam interpono: quandoquidem consentaneum est, vt prius aliquantisper concionemur, quàm nos in viam narrandi prodigia demus.* ROB. *Nosco te intus & in cute, vt aiunt. Si semel in disceptationis campum me traxeris, necesse habebo tecum diu obluctari, adeò lepidè ac sagaciter scis causas inuestigare, quamobrem in certamine quempiam retineas. Quare, amabo te, agito partes tuas, incipe, atq; perge recta via exponere speciatim id quod ad rem nostram pertinet.* POLYD. *Id quantum conniti animo,*

quant

quantum labore contendere potuero, sedulò facere instituam. Quum disputando ad somniorum visiones veniendum sit, quæ nobis aut per quietem, aut per merum, aut per insaniam, sunt, in animo est quærere, quæ tam probari poßint vera visa, quàm falsa refelli? propterea primum omnium oportet ponere regulam veri & falsi, si vtriusq; notionem vllã habere velimus, qua distingui poßint, quæ à Deo missa, quæ in somnijs videantur, quæq; oraculis, auspicijs & extis inania declarentur. ROB. Est quisquam, qui huiusce rei poßit quærere veritatem? POL. Ego à te adiutus: & hæc mihi causa est, quare te audiam libentius, si tibi potior causa non sit, cur recuses. ROB. A me ad veritatem indagandam, quam natura, vt scitè ait Democritus, in profundo penitus abstruxit, auxilium expectas? Moriar, si ambo id vllis ingenij facultatibus exequi possumus: de hac enim vna re philosophi antiquißimi inter se summopere dissentiunt: theologi verò nostri maximè laborant, anguntur, sudant. Illi etenim sic argumenta sua concludunt: Eorum quæ videntur, alia vera sunt, alia falsa: & quod falsum, id percipi non potest: quod autem verum visum est, id omne tale est, vt eiusmodi etiam falsum poßit videri: & quæ visa sunt eiusmodi, vt in ijs nihil intersit, non posse accidere, vt

eorum aliqua percipi poßint, alia non poßint. Quibus omnibus rationibus volunt efficere, quæ visa sint veris adiuncta, esse falsa, quæ à veris nihil differant: & deniq; talia esse, vt non poßit ingenij acies ea comprehendere. Hanc autem definitionem Cicero in Academicis quæstionibus facilè refellit, conuincitq; autores, ita respondens: Qualis est istorum oratio, qui omnia non tam esse, quàm videri volunt? Maximè autem conuincuntur, quum hæc duo pro congruentibus sumunt, tam vehementer repugnantia: primum, esse quædam falsa visa: quod quum volunt, declarant quædam esse vera. deinde inter falsa visa: & vera nihil interesse. At primùm sumpseras, tanquam interesset: ita priori posterius, posteriori superius coniungitur. Sic Cicero argumentatus concludit, ad visa discernenda opus esse perspicuitate & diligentia: quando perspicuitas eam habet vim, vt ipsa per se, ea quæ sint, nobis ita vt sunt, indicet: diligentia verò facit, vt firmius in perspicuis maneamus, sine qua, præstigijs quasi quibusdam obcæcati, actiq;, facile ab ijs quæ clara sunt, depelli possumus. Verbi gratia: Solet quis in vigilia sibi aliquid fingere, ac longa cogitatione depingere: qui simulac seipse commouit, atq; ad se reuocauit, sentit quid intersit inter vera & inania, si perspicuitatis diligentiam

adhib

adhibeat. Itidem *faciet, si eadem in somno extiterint.* POL. *De veris & falsis visis, infrà suo loco commodiùm disputare poterimus. nunc autem omnes nostræ disputationis neruos contendere nos debere existimo, quò discutiamus, quomodo diuinæ prænotiones internosci queant, vt ne veri cognitio per dæmonum fallacias conturbetur: quia satis constat, tam communitatem esse naturalibus præsensionibus cum diuinis: quàm superstitiosis cum curiosis.* ROB. *Vbi est communitas veri cum falso, ibi nullum erit iudicium: quoniam proprium in communi signo notari non potest.* Atq; *vt videre videor, perdifficiliter id quod agis, planum fiet.* POL. Imò *nullo fiet negotio: nam vno vel altero modo, aut quod quærimus, probabile existet: aut saltem notam aliquam veritatis habebimus, si modò libuerit ingenium, quod tibi longè sagacißimum est, intendere.* ROB. *Quid multa? intendam sedulò.* Sed *heus tu, noli mihi proponere visiones amentium. quatenus enim hæc nobis pertractanda sint, perquàm diligenter videndum est, vt ne cum insanis insanire videamur.* POL. *Phreneticorum, ebriosorúmve monstra abhorres?* ROB. *Abhorreo inquam, simulq; audire, nedum referre pudet: quot etenim somnorinas, vt* Varronis *verbo vtar, imagines affantur? & præsertim illi, qui*

quo magis delyrant, eo frequentiora cum dijs colloquia habere se aut fingunt, aut credunt. Credunt autem complures, et maximè omnium monachi nostri, viri simpliciores, apertioresq́;: quorum nonnulli, vt sæpe accidit in tanto deuotorum grege, cum tædio vitæ, quam artibus vacuam degunt, tum pœnitentia votorum, quæ fermè à pueris inconsideratè fecerint, affecti, sui consolandi gratia, sese ad danda responsa accommodant, & nunc amicorum nomine de nuptijs faciundis, nunc de habendo itinere, nunc de bello gerendo, de mortuorum statu, de viuorum futura felicitate, de ouis galline subijciendis, de ouium partu, ac subitis rerum mutationibus, deos consulunt, qui dæmonum præstigijs obcæcati noctu in cælum rapiuntur, cælites adeunt, responsa reportant, & nomine sanctitatis elati, sua visa amicis patefaciunt, id quod summæ leuitatis atq; erroris indicium est. Ista ergo, & istiusmodi vanitatis plena, nostrum quæso, non impediant sermonem, quem in multum iam diem produximus. POL. Ioculatoria hæc, quæ inter sermocinandum nos paulò antè labore atq; itinere disputationis defessos, iuxtà delectare atq; recreare possunt, missa facienda iudicas? ROB. Sic sanè. Nam non est ponendum tempus in hoc ioci genere, quod nequaquam facetum, sed flagitiosum duco: quando non

do non parum multi etiam nunc imprudentes ſe in dæmonum laqueos præcipites agunt, arbitrantes à dijs præcepta accipere, quæ à malo genio habent. Quid, quòd mulierculæ quoq; noſtræ, præſertim monachæ, more ſuo ſemper credulæ, non verecundantur ſe interdum fatidicas profiteri, quum miſeræ ab iſtis dæmonibus circumuentæ, non animaduertant fraudem? Et quia labi, errare, falli, tam turpe eſt, quàm perniciosum, non eſt quòd proſequamur viſiones eiuſmodi vatum, qui planè mente capti, nihil certi præſentiunt: quod infrà ſatis conſtabit. POL. *Tute proinde conſtituas regulam, ne noſtra fluctuet diſputatio.* ROB. *Faciam. Quinq; ſomnij ſpecies, teſte Macrobio, ſunt. id eſt, inſomnium, quod accidit, quum cura ſtudiúmve cuiuſpiam rei, quod vigilantem tenuerat, mox dormientem inuadit: quia, vt ait Cicero de ſomnio Scipionis, fit ſæpe ferè, vt cogitationes ſermonesq; noſtri pariant aliquid in ſomno tale, quale vigilantes cogitauerimus, locutiq; ſimus. Altera ſomnium, quod eſt figuris tectum, ita vt ſine interprete, qui artem calleat, intelligi non poßit. Tertia phantaſma, quum quis ſemiſomnis videt in ſe formas varias latè vagantes irruere. Quarta oraculum, quum per ſomnium perſona grauis, aut Deus ipſe quicquam futurum eſſe, ſiue vti bonum faciendum,*

malúmve declinandum denuntiat. Quinta visio, cùm id perinde euenit, vt cernere visi sumus. Cæterùm nos, vt hactenus fecimus, ista omnia commodè modò visiones, quas Græci *(teste Quintiliano) phantasias vocant, per quas rerum absentium imagines animo præsentantur: aut visa, quæ noctu pariter atq; interdiu accidunt, appellabimus.* POL. *Distinctio visionum, ac conclusio, item sermonum lex mirificè placet: itaq; reliquum est, vt de modo tractetur, quo vera visio à falsa discerni possit.* ROB. *Id paucis explicabo: vera enim visio est, quæ nihil in se falsi: falsa verò, quæ veri habet in se nihil.* POL. *Bella sanè conclusio, vel potius iocatio.* ROB. *Quî malum videor tibi nugari, si quod rogas, tibi respondeo?* POL. *Aliud rogo responsum. Quomodo id verum, falsúmve elucebit? quomodo constabit mihi, id quod prædicitur, an à* Deo, *qui verax est, ac idcirco, vt* Plato *de* Republica *ait, haud quenquam per visiones, seu signa decipit: vel à diabolo, qui est mendax, proficiscatur?* ROB. *Non facilè vtiq; constabit. opus nempe est diuina ope, vt quis eius rei intelligentiam habeat.* Sic Origenes *homilia tertia in* Exodum *testatur, inquiens:* Vide *quid scriptum sit de* Iuda, *quomodo referatur: Quia introiuit in illum satanas, & quia misit in cor eius diabolus,*

lus, vt traderet Dominum. Ipse ergo apparuit os eius, vt loqueretur cum principibus, & pharisæis, quomodo eum traderet, accepta pecunia. Vnde mihi videtur non esse paruæ gratiæ, intelligere os quod aperiat Deus, & intelligere os quod aperiat diabolus. Non est sine sancti spiritus gratia, huiusmodi os & verba discernere. Hæc ille. Hinc extiterunt prophetæ Dei veri nuntij, qui futura prædixerint: nam futura quæ prænorant (aliter enim prophetia nominanda non est) prædicebant à Deo edocti: id quod affirmat Apostolus Petrus epistola secunda, scribens: Si illud prius noueritis, quòd omnis prophetica scriptura non sit priuatæ interpretationis. Non enim voluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti Dei homines. POLY. *Si te audiremus, iam equidem palàm foret, prophetas semper vera dicere: at alios non item, quum affirmes istud nomen illis tantum conuenire, quod non est verum. nam in Numeris Balaam, & apud Cretenses Iouis sacerdotes sunt prophetæ appellati, quales, teste Festo, erant vel fanorum antistites, oraculorumq; interpretes. Item diuus Ambrosius in primam Pauli ad Corinthios epistolam, ait, alienorum scriptorum interpretes prophetas vocitari. Ita etiam Plato in Timæo vaticiniorum interpretes*

tes prophetas appellat, qui ſæpe labi, errareq; poſſunt. Ergo non omnis propheta verus eſt. ROB. Quid pugnas? tibi aſſentior: ſed dico alium eſſe prophetam, qui intelligat quod prædicit: alium prophetam falſum, qui fallatur, quòd non intelligat, quod denuntiat. Talis fuit propheta Saul rex Iudæorum, talis Caiaphas, talis Balaam: autor Ambroſius. POL. Sed ad prima reuertamur. Inquis prophetas à Deo Opt. Max. edoceri ea quæ fantur, & noſſe quæ prædicunt: ecquid igitur ſigni dat Deus, quo propheta intelligat ſe ab eo prædicenda moneri? ROB. Audi, hoc loco permultum proficiemus, illud philoſophando demõſtrare, quemadmodum fiat, vt prophetæ ad prædicendum inſtituantur: nam Ioannes Scotus, & Thomas Aquinas inter ſe non conſentiunt, an ſolus Deus, vel eius miniſtri ſpiritus, per intelligibiles ſpecies, humanis mentibus propheticas reuelationes infundant. POL. Quid iſtuc ad rem noſtram? an quærendum putas de officio Dei, & quid per ſe, ſeu alios, præſtare debeat: perinde quaſi aut procul ſit, aut alienæ opis ad ſuum negotium agendum egeat? Nolo inquam audire. ROB. Quid ita? POLY. Quia video, video futurum, vt eiuſmodi ſophiſticis ſubtilitatibus, à quibus nequis te abſtinere, confeſtim me in breuia & Syrtes vrgeas.

geas.

geas. ROB. *O fortem, & non fortem bellatorem: à me multa poſcis, & quum ad rem venio, tu, ſi ea frigidiſſima ſit, cales, ſi feruentiſſima, friges. Audias cætera, quæſo, poſtquam de prophetis ſermo factus eſt. Non vno ſe modo veritas prophetica hominum mētibus inſinuat, ſed vario. Aut enim viſio menti imprimitur: ita Dauid Christi myſteria perſpexit. aut per viſum, auditum've, ſigna rerum futurarum eduntur: ſic Moſes audiuit multa futura, ſic Daniel vidit in pariete ſcripturam. aut deniq; per imaginationem figuræ obijciuntur: ita Hieremias aſpexit ſuccenſam ollam. At iſte imaginarius modus multiplex eſt, quippe aut per quietem, aut per vigiliam, monſtrantur rerum imagines aliquid portendentes: aut per verba, vel ſigna exteriora, quorum autor ſæpe cernitur, aliquando non cernitur. Ita apoſtoli, Petrus, Iacobus, & Ioannes, viderunt in monte, vti Marcus euangeliſta perhibet, Heliam & Moſen cum Chriſto colloquentes, ac audierunt vocem ſupernè editam: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Ad hunc quoq; modum Eſaias teſtatur vidiſſe ſe Dominum ſedentem ſuper ſolium, & audiuiſſe vocem Domini dicentis: Quem mittam? Hic vocis autorem vidit, illi nequaquam. Atq; ita perſona loquentis modò in aperto, modò in occulto eſt. Cæterùm am-*

plius

plius decem modos narrarem, si vellem repetere minutatim, quæ à nonnullis magis superstitiosè quàm commodè aut vtiliter traduntur. POL. *Mitte omnino plura dicere: ijs ego tribus contentus modis, haudscio quid ad illos addi poßit, qui facilè omnem prophetiæ immißionem complectuntur. Sed age, tandem aliquando de veris eius immißionis signis doce.* ROB. *Lumen appellant id, quod indicio est, aliquid mortalibus prædicendum à* Deo *prophetis inspirari: quod dum præcepta accipiunt, diuino quodam lumine intrinsecus sic illustrentur, vt nil vmbræ, nil ambiguitatis, nil dubitationis, nil erroris in eis sit: quippe qui tunc plus sapiant, plus cernant, plus sentiant, ac plus animis vigeant. Contrà, si quicquam à malo dæmone auribus instilletur, etiam lætum, ferunt non eandem inesse sensibus rei perspicientiam, aut animi alacritatem, verùm potius grauitatem, tarditatemq́;, & gaudio quod quisquam ob nuntium rei iucundæ gauisus esset, statim pòst intercedere tristimoniam. Sed quid multa? forsitan per lumen veræ prophetiæ iudicium fieri volunt, quia sine illo perrarò sint visiones. Ita* Moses, *duce rubi flamma, ad colloquium* Dei *acceßit: ita in* Apostolo Petro, *vt in* Actis *est, quum in carcere esset, noctu repentè circunfuso luce non meliocri, visum accidit, quo salutis*

admonit

admonitus est: & Paulus interdiu perfusus lumine, audiuit vocem de cœlo, qua ductus est ex tenebris, ad veram lucem. POL. *Perinde me dij ament, vt tu omnia peracutè, persalsè tractasti, egisti, docuisti: sed istud luminis signum haud facilè quisquam certum scire, seu certo metiri discrimine potest, præter eum cui visum obiectum sit: quare profer, si quid aliud habeas, quod æquè ab omnibus internosci queat.* ROB. *Quid hoc necesse est?* POLY. *Valde equidem, quoniam non habeo adhuc regulam, vt tales visiones veras iudicem.* ROB. *Tantum, quantum possumus, quantum mediocri ingenio, quantum mediocri cura & studio valemus, faciemus tibi satis, opinor: sed ita existimes, tibi posthac non licere transuersum digitum discedere ab hac regula, quam tantopere postulas.* POL. *Ob id ipsum te rogo, vt non amplius de re tanta hæsitem.* ROB. *Antea dixi, lumen esse indicium prophetiæ veræ, secundum quorundam sententiam. nunc nobis illud interpretari libet verbum Dei, vnde in Psalmo 118. canitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. & Christus apud Ioannem: Ego sum lux mundi. Istam igitur lucernam & lucem, hoc est, verbum Dei, quum videris præferri, pro certo habeas, signa veræ prophetiæ statim pòst sequutura: quia Deus pri-*

mùm

mum loquitur, postea, vt credamus, signa addit. Marcus euangelista de Apostolis: Illi verò egreßi prædicauerunt vbiq;, Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia. Ac ita signa prophetiæ sine verbo, nunquam dari scito. POL. Scio certè te nec non meo aliquantum aberrare proposito, rem tametsi acutè concludis. ROB. Aberrare eum ais, qui in rectam viam pedem retulerit? Tu in errore, ne dicam in vitio, es, qui non intellexisse videris, me hactenus aliorum sententias de internotione visionum persequutum: nunc autem meam dicere, vt magis certam. POL. Probè dicis, fui in errore, & tu in vitio, quandoquidem iam bonam diei partem dedimus longo certamini: quum tu, vt video, nondum edideris signum, quod noscam, id quod à principio pugnæ fieri solet. Sed factum bene, abundamus enim otio, ita vt commodum de signo rursus agere poßimus, quod ego, vti pugnax, à te nostri sermonis duce expecto: expecto autem, vt intelligam, quid sit ipsum signum, de quo tantopere hoc loco agimus. ROB. Habebis id quidem: vt enim heri feci, non me ita interpellabis, quin ad nostra nauiter reuertar: sed modicè agas, precor, vt ne tricari potius, quàm disputare videamur. Signa diuina sunt testimonia verbi Dei, quæ per miracula corroborantur:

rantur: de quibus Apostolus meminit ad Hebræos scribens: Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ quum primùm enarrari cœperit per ipsum Dominum, ab ijs qui audierant in nos confirmata fuit, attestante Deo, & signis & prodigijs simul, varijsq́; virtutibus, & spiritus sancti distributionibus, iuxta ipsius voluntatem. Hinc igitur cognoscere licet, in visionibus quas diuinas censemus, oportere inesse verbum Dei, id est, de salute animæ agi, & secundum verbum illud plurimum signa sequi. Et hæ sunt visiones, quæ contigerunt in Mose, Petro & Paulo: quorum exempli causa nuper mentionem fecimus, qui dono sancti spiritus, ac pietate & innocentia muniti, de verbo Dei vaticinati sunt. At visiones dæmonum sine verbo, sine signis, ab illis expectato, qui multa vitæ ignauia, item ficta bonitate armati, de rebus humanis Deum futiliter, stolidè, leuiter consulunt: quibus quia ita merentur, dæmones responsa dant. POL. *Iam teneo, ita omnia perspicua fecisti, quid intersit inter visiones, & quibus id signis internosci queat. Sed hinc scrupulum iniecisti, qui me malè habet.* ROB. *Quid istud est?* POL. *Dicam. Tute hesterno sermone ostendisti malos homines interdum vera prædicere, illud exemplo Balaam probasti. Ipse ergo nunc quæro:*

Num illa dona, illa signa quibus tam præclarè docuisti veros prophetas imbui, munirią; fuerint data Sibyllis? quarum carminibus tam Lactantius Firmianus, quàm diuus Augustinus tradunt multa prædicta fuisse, quæ ad nostram pertinerent religionem: aut Balaam, Saul, & Caiaphæ, pessimis hominibus? quamuis futura, & illa quidem minimè vana, effati sint. ROB. *Quid est, cur ista de me quæras? qui omnino tantam rem me nulla facultate attingere, vel explanare posse confido: sed nec facile eius esse, qui reprehensionem doctorum, aut prudentum vereatur. Quippe si talia certò scirem, profectò essem quasi apostolus Paulus, qui in tertium vsq; cœlum raptus audiuisse se ait, quæ fas non foret homini loqui. Quapropter ego vt homunculus vnus è multis, non astringam meam fidem, qui quum probabilia coniectura sequens, vltra quò progrediar, non habeam, te contentum volo diui Ambrosij in nostra theologia probatissimi responsis, qui ea quæ percontaris, & scire aues, at cuiusmodi sint, abundè exponit. Is itaq; in commentarijs in epistolam Pauli ad Corint. primam, de Sibyllarum vaticiniorum ratione sic edisserit: Est enim inter mundanos spiritus potior, vnde solet coniecturis quæ mundi sunt, diuinare, quem Pythonem appellant. Hic est, qui per verisimilia fallitur, &*

fallit

fallit: hic est, qui per Sibyllam locutus est. Et subijcit: Ad Dei gloriam prophetatur, sicut dicit Dauid propheta: Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nam & Balaam prophetauit, quum propheta non esset, sed hariolus. Et Caiaphas prophetauit, non merito, sed dignitate ordinis sacerdotalis. Et Saul prophetauit, quum iam inobedientiæ causa spiritu malo fuisset repletus: sed propter Dei causam non posset comprehendere Dauid, quem occidere volebat. Verùm idem libro Epistolarum suarum sexto, ad Chromatium, multo luculentius rationem eiusmodi rei reddit, ita scribens: Sed nec augurator augurij in Israël, secundum legem Dei. Quomodo ergo Balaam prohibitum se oraculo Dei dicit, nec vadat ad maledicendum populo Israël? Et infert: Vnde isti oraculum Dei, quòd futura manifestauit, qui augur erat? Si oraculum Dei loquebatur, vnde meritum diuinæ aspirationis assumpserat? Sed non mireris infusum auguri à Domino quod loqueretur, quando infusum legis in Euangelio, etiam principi synagogæ, vni ex persequentibus Christum: Quia oportet vnum hominem mori pro populo. In quo non prophetiæ meritum, sed assertio veritatis est, quo perfidia non credentium vocibus suorum augurum redargueretur. Ideo Balaam ille Chaldæus adscitur ad fidem, vt Chal-

dæorum superstitio conlicesceret. Non igitur confitentis meritum, sed vocantis oraculum est, reuelante Dei gratia. Hactenus Ambrosius. POL. *Perappositè recitasti ista omnia, quibus iam satis constat, Dei nutu eos malos vates diuinasse. Sed aliud intelligere cupio, an illi acceperint idem lumen, idem donum, atque veri prophetæ solebant?* ROB. *Quid ni? quum Ambrosius, vt tibi nuper exposui, referat Balaam non expertem meriti diuinæ inspirationis, Cæterùm id rarò accidisse legimus, at syncerè nunquam, quin fraus ex altera parte metuenda foret, id quod Ambrosius attestatur, ibidem dicens: Quid igitur contraxit offensionis? nisi quia aliud loquebatur, aliud machinabatur. Tentabatur ergo Balaam, nō probabatur: erat enim plenus fallaciæ ac doli. Hæc ille. In eodem fuit vitio Caiaphas, qui vt Christum perderet, iudicauit vnum hominem, seruandi populi causa, morte afficiendum.* POL. *Cuncta nimirum rectè, ita vt penè ad exitum venerit omnis quæstio. Veruntamen aliud à te percontabor. Antea dixisti, Ambrosium affatim de Sibyllarum carminib. differere: postea adduxisti eius testimonium, in quo tantum vnius Sibyllæ mentio facta est, perinde quasi sola vna Christi præconium cecinerit.* ROB. *Acriter nempe sapis, animaduertisti istud?* POL.

Atqui

Atqui animaduerti, & quid sibi velit ista tua transitio, dic sodes, nisi molestum est. ROB. Audeo me posse tibi rem declarare, si memoria non defecerit, neque grauabor. Itaque hoc habeto cognitum, inter se autores tam de nomine patriæ & numero Sibyllarum dissentire, quã cuius carmina sint, quib. de re Christiana testimonia dicta acceperimus. Alij, teste Augustino, de Ciuitate Dei libro 18. id opus Sibyllæ Erythrææ, alij Cumanæ aßignant. POL. De his satis. maiora moliamur, quæ à primo prætermissa sunt, quum præsertim nihil sit quod vereamur, vt dies nobis satis sit, ad id disputandum. ROB. Ecquid moliris, quod maius appellas? Vis tuo iure iocari? qui paulò antè dixeras, ad exitum venisse nostram disputationem. POLYD. Disputationem inquis? Non habes in memoria, dixi enim quæstionem: sed nunc, vti sæpe vsu venit, alia mihi quæstio oborta est, tuo iudicio discutienda: ROB. Propone, postquam, vt videre videor, noster magis integrescat quàm senescat sermo, necesse est. POLYD. Faciam id, quod tibi, ni fallor, valde probabitur. Hactenus de prophetia non pauca dicta sunt: sed vnde illa orta sit, nullum verbum. Quare omnis iste noster labor facile reprehensionem incurret, nisi illud prius explicuerimus, quàm

hinc digrediamur. nam omnis quæ suscipitur de aliqua re disputatio, debet ab origine eius rei inchoari, vt eiusdẽ rectam definitionem afferre posſit. ROB. *Illud parce, quæso, tua culpa prætermissum est: qui vix vna quæstione absoluta, ecce tibi, alteram subiungis.* POL. *Verum dicis: sed id mihi non vitio, imò atque adeò laudi, absit arrogantia verbo, dandum videtur. nam pridie ita noster institutus est sermo, vt hodie à nullo certo inductus exordio faciat, quò mihi paſsim Peripateticorum in mentem veniat, quorum consuetudo in disputando, quemadmodum Cicero in Tusculana secunda testatur, fuit, vt de omnibus rebus in contrarias partes dissererent, quo sic maxima dicendi esset exercitatio. Ita mihi faciendum duxi, tui colloquij perfruendi causa: etenim nisi ego te hisce captionibus alias alijs, & eas quidem contrarias subijciendo, in disceptatione detinerem, iam surrexisses, finemq́; disputandi fecisses.* ROB. *Fateris ingenuè extra iocum, vt puto, tuas iucundas artes, quas ipse facilè patior, quum videam tibi secundum hunc sermonem nostrum, nihil illis esse familiarius, gratiusq́;. sed surgamus, quæso, atq; quod restat, ambulando tractemus.* POL. *Fiat: sed leuiter incede, ne fatigere, néve calescas, quò extremum nostri sermonis actum tuo commodo agere poſsis.* ROB.

Ad rem aggredior: sed iamiam sudare incipio, ob grauitatem oneris, quod intempestiuè imponis. Expectas prophetiæ originem? at quis pro certo dicere audebit? accipe definitionem prius. Prophetia autem est rerum futurarum prædictio, quæ nulla humana opera, nulla cura, nullo deniq; conatu, quia nescia mens hominum fati sortisq; futuræ, innotescere potest. Ac ita cognitio futurorum non statim impendentium (nam, vt heri dispìutauimus, ex naturali diuinatione, per coniecturas, & experimenta, imminentes procellas quibusdam signis præsentimus) ex Dei voluntate, vel potius clementia pendet. Nam quid in ea re potuisset sua opera, labore, aut studio excellere Dauid, qui fuerat pastor, & postea rex bellicosissimus? aut Amos, itidem pastor? aut Hieremias puer? & longo pòst tempore, apostoli ferè omnes idiotæ homines? POL. Contrà, ac tu affirmas, sunt qui id diuinandi munus animæ adscribant, quod illa, vti Plato sentiebat, ex suis initijs, vim quandam ab animæ idæa, quam nos speciem appellamus, adiutam præsciendi futura habeat. ROB. Istud nostri theologi, & in ijs Augustinus in primis, pernegant, quum anima nequeat semper diuinare, quando vult. Quid, quod Peripatetici omnes accedunt eodem, volentes animam instar nudæ tabellæ, in qua nihil

informatum ſit, copulari corpori, & eam nihil ordinaria vi naturæ poſſe cognóſcere, niſi per ſenſus & phantaſias intercedentes? Siquidem, quemadmodum Auguſtinus *de definitione fidei tradit, ſatis conſtat animam corpori, ſtatim vt eſt in vtero formatum,* Dei *iudicio, creatam ad punctum temporis, coniungi, vt ita factus homo ex anima & corpore conſtans viuere incipiat, ac ita viuens egrediatur plenus humanæ ſubſtantiæ, ex ipſo vtero, & poſtmodum vti anima ratione, ita caro ſenſibus in dies ſingulos magis augeatur.* Ad *illud* Lucas *euágeliſta de* Chriſti *pueritia loquens alluſit:* Et Ieſus *proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud* Deum *atque homines.* Igitur *nemo homo ſua opera, vel labore, ſed* Dei *beneficio, prophetiam conſequitur: id quod apoſtolus* Petrus *affirmat, ſcribens eam olim non ex voluntate hominis, ſed à ſpiritu ſancto allatam.* POL. Ad *ſuperioris tui promiſsi partis epilogum ſubtiliter, copioſè, dilucidè, feliciter perueniſti: nunc poſteriorem abſolue.* POL. In *promptu eſt, ad idq́; nitimur.* Prophetæ *iam inde propè ab initio orbis conditi eſſe cœperunt.* Abraham *enim, vt eſt in libro* Geneſeos, *capit.* 20. *à* Domino *propheta vocatur, iubente* Abimelech *regi, qui* Saram *eius vxorem rapuerat:*

Nunc

Nunc ergo redde viro suo vxorem, & orabit pro te, quia propheta est, & viues. Propheta vtiq; fuit Abraham, vt infrà intelliges, si sermo de ea re inciderit. POL. *Incidet, non dubites. nam ego ad id loci te perducam, vt sis ex occasione data, appositè illud explicaturus.* ROB. *Fortasse faciam. Item Dominus Mosi ait: Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus. In Exodo, capit. 7. ea est historia.* POL. *Et hoc prophetiæ initium?* ROB. *Hoc nempe.* POL. *Atqui adhuc me incertum rei fugit, quando Abrahæ primò, vt dicis, prophetæ officium illud tributum fuerit.* ROB. *Si isto modo volueris singularum rerum tempus & causas desiderare, non modò cognoscendi sed ne quærendi, néve dubitandi quidem finem reperiemus: tamen & hoc demonstrabimus. Abraham per visionem Dominus iam inde à principio alloqui cœpit, quum eum in Chanaam ire iusserit, prædixeritq; fore, eius genus postremò posíideret eam terræ partem, quæ à Nilo Aegypti flumine ad Euphratem pertinet: item circumsionem, ac multa alia mandarit, quæ per eum Hebræis nuntiata, curatáq; voluisset. Nota est historia in Genesis libro.* POL. *Satis est. at postquam ortum diuinæ visionis à fonte repetiuisti, consentaneum est, vt simul quæramus,*

quid causæ fuerit, quamobrem Deo placuerit sua arcana per eum modum mortalibus reserare, quæ ipsorum intelligere maximè interesset. ROB. *Ego verò istuc neque humani ingenij quærere, neq; inuestigare, esse existimo. Quis enim, vt Esaias dicit, consiliarius Domini fuit?* POL. *Suspicor prophetas fuisse, quibus sicut tute nuper vno vel altero loco docuisti, Deus sua communicauit identidem consilia, quorum mortales monitos à primo voluerit. Quare explica, atq; excute huius rei intelligentiam tuam.* ROB. *Certè venit mihi in mentem hoc momento Amos propheta, qui eius rei causam reddit, ita inquiens: Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum ad seruos suos prophetas.* POL. *Patefecit Deus omnia secreta sua prophetis?* ROB. *Rectè tu porrò interrogas, vt non sit, quod posthac hæsitemus: propterea audi is. Haud equidem cuncta Deus significat prophetis, quæ in cælo agat, vel quæ iam egerit: sed quæ in terris sit acturus, quæ ad hominum salutem pertineāt, si audierint, si crediderint. Sic Noë edoctus, cognouit futurum diluuium: sic Abraham intellexit excidium Sodomæ et Gomorræ: sic Ioseph de futura septem annorum fame est factus certior: sic deniq; Esaias prædixit fore, vt Christus ex virgine nasceretur, atq; morte sua nos ab interitu vindicaret.*

POL.

POL. Ecquid, ergo, mouet Deum, vt talia mortalibus significanda antè curet, quàm ingruat? ROB. Cùm clementia, tum iustitia. Pro sua enim benignitate, Deus, vti diuus Hieronymus in commentarijs in Amos affirmat, semper futura prænuntiat, ne cogatur inferre supplicia. siquidem eos quos pœnitet, ac certa fides habet, delectat, fouet. Tam clementiæ est seruare, quàm iustitiæ, punire eos quos iuuat in culpa vitioq; esse. Iam habes de visionibus sacris, quæ postulasti. POL. Ita prorsus: sed plus desidero, vsq; eò meum animum tuus lactat sermo, vt semper eius copiam sitiat. ROB. Si ita feceris, tantum aberit vt hodie vel cœnatum aut cubitum hinc discedamus, vt nobis etiam ad multam noctem vigilandum putem: quod fortasse de industria facis, quò ita me vnà pariter cœna fraudes, atq; rei tuæ familiari consulas, vt ne tibi sim sumptui. POL. Tuis facetijs ac festiuitate vtare, licet: est profectò res non minimi momenti, in qua aliquid temporis ponamus, par est, quò omnis diuinarum visionum ratio ritè pertractata dici poßit. quod pace tua fiat, quæso. ROB. Exprome tandem quid illud sit, antequam me longioris sermonis capiat satietas. POL. Reperio olim moris fuisse deorum vatum, vt tribus modis responsa darent: verbis, signis, aut scriptis. Primum ponit modum

Verg

Vergilius, lib. Aeneid. tertio, quum inducit Aeneam consulentem Thymbræum Apollinem, de suo itinere. nam à Ioue summo deo cæteri futura docebantur, quod Harpyia Celæno testatur canens:

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus
Apollo
Prædixit, vobis furiarum ego maxima pãdo.
Qui ita orat:
Da propriã Thymbrææ domũ, da mœnia fessis,
Et genus, & mansuram vrbem.– Et infert:
Vix ea fatus erã, tremere omnia visa repẽtè,
Liminaq; laurusq; Dei, totusq; moueri
Mons circũ, & mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terrã, & vox fert ad aures:
Dardanidæ duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto
Accipiet reduces, antiquã exquirite matrem.
Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Altero idem Helenum vtentem inducit, qui suis Troianis signum certæ salutis dat, inquiens:

Nate dea –Et subiungit:
Pauca tibi è multis, quò tutior hospita lustres
Aequora, & Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis. –Et subijcit:
Signa tibi dicam, tu condita mente teneto.
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis vndã,

Littoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit,
Alba ſolo recubans, albi circum vbera nati,
Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

De tertio idem meminit, quũ apud ipſum Helenus admonet Aeneam, vt ad Sibyllam adeat:

Huc vbi delatus Cumæam acceſſeris vrbem,
Diuinosq; lacus, & auerna ſonantia ſyluis,
Inſanam vatem aſpicies, quæ rupe ſub ima
Fata canit, folijsq; natas & nomina mãdat,
Quæcunq; in folijs deſcripſit carmina virgo,
Digerit in numerum.

Et in ſexto rem quoq; ita tangit: –Folijs tantum ne carmina mãda. Quæ quum ita eſſent, à te porrò ſciſcitari libet, an illi prophetæ magni Dei nuntij fando futura, ſint iſtos vates imitati. ROB. Quomodo quis alterum imitari poteſt, qui illũ ætate præcurrerit? Non erant propemodum dij gentium, nedum eorum oracula, quando Moſes ſummus propheta cœpit & verbis ſuos Hebræos docere arcana Dei, & ſignis ad credendum inducere, ac ſcriptis legibus ad bene beateq; viuendum inſtituere, quemadmodum paſsim in Exodo eſt. Igitur vates deorum non modi huius prædicendi futura autores, ſed imitatores dicito: quum ille primitus apud Iudæos ita inualuerit, vt poſteriores prophetæ etiam obſeruauerint. nam vt de alijs ſileamus, Helias multa verbis, non item

ſcrip

ſcriptis, non pauca quoq; Heliſæus denuntiauit regibus, ſicut libro Regnorum quarto patet. Per ſigna ij quoq; prophetæ ſua oracula identidem protulerunt. Helias enim, quum Hæliſæus eum puſtularit, vt ſibi duplicem ſpiritum relinqueret, ſignum dedit, quo intelligeret ſe voti compotem factum, dicens: Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiuiſti: ſin autem non videris, non erit. Nota eſt hiſtoria eodem lib. cap. 2. Heliſæus itidem certo ſigno prædixit regi Ioæ futurum, vt toties magnis cladibus Syriam afficeret, quoties iaculo terram percuteret: qui ter coràm id fecit, terq́; poſtea Syros vehementer afflixit. Mandauit verò ſcriptis ſua vaticinia in primis Eſaias, compluresq́; alij. atq; ita prophetæ ante deorum vates, olim aut vocibus, aut ſignis, aut ſcriptis futura prædixerant, quos ipſi poſtea vates inſani, fallacesq́;, mortales credulos decipiendi cauſa, in diuinando ſunt imitati.

POL. *Nunc certè fateor, mihi plena manu ſatisfactum eſſe, teq́; rem accuratè, copiosè, ac doctè confeciſſe.* ROB. *Satis tibi feci? Ita me dij ament, quemadmodum gaudeo tuis optimis poſt hominum memoriã ſtudijs me obſequi, quæ tam ad valetudinem, quàm ad voluptatem valent: quãdoquidem ea de cauſa ad te diuerti, vt poſtquam aliquantum quieram animum relaxarẽ. quod facio, ita ambulando, diſputãdoq́;, & quidem*

dem

dem melius quàm venando, aucupandóve: id quod vel facere potest, qui infra omnes infimos homines esse censetur. Quare miror nostram nobilitatem in venatione tantum esse, in eaq́; se à pueris exercere, præ qua permulti reliquas bonas partes parum student. Quocirca tibi multũ debeo, qui fecisti, vt rusticando me ad istum sermonem accommodauerim, qui nobis summæ lætitiæ commodoq́; fuit. POL. *Faciemus hoc idẽ cras, & quot dies erimus hic in nostra villa, postquàm, vt video, nihil est quod malis, qui minimè grauaris mecum diutius sermocinari.* ROB. *Minimè grauabor, si tu disputando recta incesseris via: hactenus enim tot ac tanta incœpto de Prodigijs sermoni anteuertisti, vt nunc reuoluamur eodem necesse sit, si volumus præstare quod à principio nobis faciendum statuimus.* POL. *Istud commodum fiet, scrupulis enim omnibus ex via remotis, nõ offendemus. Et primum omnium occurrit illud Ioseph, Iacob filij somnium, de quo Iosephus libro Iudaicæ antiquitatis secundo meminit. is enim quum aliquando triticum cum fratribus messuisset, per quietem, nocte insequenti, vidit suum manipulum stantem, adorari à manipulis quos fecerant fratres: item Solem & Lunam ac stellas numero* II. *secundum terram, sibi ad pedes iacere, honoremq́; habere: ac postridie ea visa*

pari

pariter patri atq; fratribus patefecit. Ita sanè euenit. haud multo pòst, pater Iacob cum tota familia, in Aegyptũ ad Ioseph, quẽ audierat apud Pharaonem in summa se gratia posuisse, iuit: qui iampridem illud fore coniecerat, sic somniũ interpretatus, vt Luna & Sol parentes essent, quod iste gignat, illa nutriat: & stellæ 11. fratres tot enim erant, qui aliquando Ioseph suspicerẽt, obseruarent, colerent. Aliud subijciam, Pharaonis videlicet visum, cuius idem Iosephus meminit. Ille vidit septem boues pingues, totidemq́; macras: item septem spicas plenas, totidemq́; inanes. Eius somnij à Ioseph facta est interpretatio, annos septem in annonæ vilitate, ac totidem in summa caritate futuros. Item vel Nabuchodonosoris regis Babyloniæ somnium non præteribimus, qui vidit statuam capite aureo, brachijs argenteis, ventre æreo, pedibus ferreis: & lapidem è monte dimissum cõtriuisse statuam: eum verò vsq; eò creuisse, vt vix à tota terra caperetur. Daniël propheta ex eo somnio prospexit futurum, vt cæteris regnis etiam Romanorum paulatim debilitatis, ac postremò deletis, solus lapis ille immobilis extaret. Sic fuit quando Christi, quem, vt est in Psal. 117. lapidem vocant, & eum Iudæi vt ædificatores humani repudiarunt, omnia potestate tenentur. ROB. Perorasti, nec ego te interpellaui. Quorsum, aut

quat

quatenus per deos, ista? Certum erat de prodigijs agere, tu tamen muneris oblitus, ad somnia, siue insomnia (nam quid intersit, ex grammaticis non video) reuerteris, quæ aliàs attigimus. POL. *Nihil profectò de via erraui, imò dedita opera ea recitaui insomnia, per quæ tam vera, quàm magna portendi audio, adeo vt meritò prodigia dici posse rear. Quare rogo, oroq́;, vt eorum oracula explanes.* ROB. *Quid opus est interpretatione? quādo in illis duobus omnia aperta sunt: in altero enim, teste diuo Ambrosio, de Christi Seruatoris mysterijs agitur: in altero, vt Origenes ait, benignitas Dei declaratur, qui noluit Israëlitas, quos conseruandos decreuerat, fame suffocari: in tertio, si quid tectum erat, ipse planum fecisti. Cæterùm postquam à proposito aberrauimus, præstaret, puto, vt quæreremus qualia, & vnde sint somnia: ac ea re quàm breuißimè disputata, pergere ad instituta.* PÒL. *Macte virtute, quam maximè me afficis lætitia, quum tibi in promptu sit id, quod à te audire vehementer cupio, quo sanè haud mihi, quod sciam, est quicquam antiquius.* ROB. *Duplex somniorum genus tradunt, vnum diuinum, alterum humanum: & ijs etiam tertium addunt, dæmoniacum. Diuinum non modò nostri theologi approbant, sed ante eos Homerus, in primo Iliad.* καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ

ἐκ Διός ἐστιν, Item Plato & Aristoteles, somnia
à Deo mitti censuerunt : & ea quidem , vt ipsi
Aristoteli in libro de Diuinatione per somnium
placet, sapientibus ac vigilantibus tantum: qui
id ea de causa suspicatus est , quòd bruta quoq;
animalia , quodq; stolidum vulgus somniaret.
Ab eo non multum discrepant nostri , qui vo-
lunt visa mitti à Deo certis hominibus electis,
non item generatim omnibus. Ita, vti tu nuper
demonstrasti, olim Ioseph somniauit : ita reges
illi, Aegyptius & Babylonius, diuina hauserunt
per soporem oracula : ita Magi, ita Ioseph, vir
Mariæ virginis, per quietem moniti sunt, vt illi
ad Herodem non redirent, & iste cum puero
Iesu, & matre, se in Aegyptum reciperet, quem-
admodum est apud Matthæum Euangelistam.
Verum enimuero Posidonius, sicut refert Cice-
ro, tribus modis censet deorum appulsu homines
somniare : vno, quòd animus per sese præuideat,
quippe qui deorum cognatione teneatur : altero,
quòd plenus sit aër immortalium animorum,
in quibus tanquam insignitæ notæ veritatis
appareant : tertio, quòd ipsi dij cum dormienti-
bus colloquantur. Hæc de diuinis somnijs. Hu-
manorum verò, id est, naturalium somniorum
causam non vnam omnino afferũt autores an-
tiquissimi. Socrates enim apud Platonẽ, omnem
vim animi in tres diuidit partes: et vnam vul
mentis

mentis & rationis participem: aliam, in qua agrestis quædam feritas insit: & tertiam, in qua existat ardor & voluptas. Quæ quum ita sint, concludit alteram partem, dum prima sopita languet, immoderato obstupefacta potu, atq; pastu, exultare in somnio, iactariq́; : & ei à mente atq; ratione vacuæ, obijci omnia visa tetra, impura, crudelia, quòd videatur cum matre aut bellua corpus miscere, aut aliquem trucidare, aut cruciari, & id genus multa turpiter facere. Contrà, primam partem animi, si tertia sedata fuerit, & quis salutari moderatoq; cultu atq; victu se quieti dederit, tum agitatam erectamq́; ad consilium, ac saturam bonarum cogitationum epulis, se vegetam acremq́; ad somniandum præbituram: & sic futurum, vt ei visa quietis occurrant tranquilla, atq; veracia. Igitur Plato iubet ita ad somnum proficisci, corporibus affectis, vt nihil sit quod errorem animis perturbationemq́; afferat. Ex quo Pythagoras fertur interdixisse, ne sui discipuli faba vescerentur, quod ille cibus habeat magnam inflationē, contrariam tranquillitati mentis vera quærentis: quia quum animus est seuocatus à societate, cogitationeq́; corporis, tum diuinat: illudq́; magis facit, appropinquāte morte. id quod experiuntur, qui sunt quopiam mortifero morbo affecti. Imò si velis magis minúsve somniare, à

Plinio edocebere, qui lib. XXVIII. autore Fabiano, tradit somniari plurimum supino cubitu, sed prono nihil. Sicuti verius somniari aiūt, post mediam noctem. Horat. in fine primi Sermo.

Atq; ego quū Græcos facerē natus mare citra
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus
Post mediā noctem visus, quum somnia vera,
In syluam, &c. At Aristoteles dicit, naturalia somnia identidem fortuitò temerarieq; incidere. quorum tria refert genera in eo libro, quem de Somno & vigilia scripsit: primùm, quod causa: alterum, quod signum existat eorum quæ præuidentur: tertium, quod accidens vocat, quando neq; causam neq; signū insomnium dat. Exempli gratia. Per somnium video Italiam repentè ardere bello, perinde ac acciderat. Ea nocturna visio vt belli caussa non est, nec item signum. Cæterùm signa in ægrotantium somnijs maximè apparēt, vt affectionū animi aut corporis indicia, quæ Medici periti cum primis obseruant. Causæ autem rei futuræ ita existūt, vt si quis Romam sibi petendam statuerit, & illius consilij, quāquam eius specie in sensus interioris sede locata immemor factus, postea somniauerit meditatum negotium agere, & sic admonitus iter Romam susceperit, tum tale insomniū itineris faciendi causam fuisse constabit. Atq; sic somniorum alia causam, alia signum, alia neutrum

trum illorum præbere dicuntur. Ad fortuita insomnia redeo, quæ ita accidunt, vt cogitationes nostræ diurnæ esse possint causæ, quare eadẽ noctu agitemus: quemadmodum fieri, vt quæ somniauerimus, sint principia earũ rerum, quas secundũ quietẽ molimur, mẽte facta quasi via, ad eas se actiones futuras accõmodante, in quarum antè simulacris per somnũ versata fuerit. POL. *Perplacẽt omnia, & præsertim quæ ex Socrate exposuisti: sed secundum istas tuas regulas nõ percipio, vnde falsa esse possint somnia.* ROB. *Pugnãtia inter se, bona tua venia dictũ sit, garris, qui tricari videris, quum ais cuncta placere, & ignorare errorẽ in insomnijs: perinde quasi nihil falsi, nihil ficti, nihil vani per vigiliã cogitemus, meditemur, imaginemur. quum paulò antè probauerim, actiones diurnas plurimum nocturnarũ esse exẽplar.* POL. *Idipsum rectè notaui, sed nõ satisfacit: sexcẽta mihi visa his viginti annis occurrerũt dormienti, quorum imaginẽ vllã animus meus vidit nũquam. Ex quo cum Poëta cõsentio, qui de ea re verè canit:*

Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

ROB. *Imò idem alibi affirmat, somnia sequi actiones nostras, quum inducit Didonem, amore sauciam, anxiam, perculsam, ita Annæ sorori loquentem:*

Anna soror, quæ me suspẽsam insomnia terrent?

Atqui miror eiuſmodi viſa tibi occurrere, qui dies noctesq́; in literis verſaris, quando tales, teſte eodem Aristotele, non niſi ſuis virtutibus digna ſomniant. POL. *Me equidem totum, vt ais, iampridem istis ſtudijs dedi, in ijsq́; maximè acquieſco: ſed fateor, nonnunquam rei domesticæ cura angimur: nã habemus domi istos noſtros ministros propè ſemper otiantes. ecquid enim aliud apud nos ſacerdotes facerent? qui quum, vt moris eſt, prælongis enſibus atq; ſcutis continẽter alligati ſint, neſciũt ſtare loco, ac aliquando altercantur, rixanturq́; : & quia tales apud nos, vti ſcis, Domino ornamẽto ſunt, idcirco eorũ moleſtias neceſſariò deuoramus.* ROB. *Id certè cauſæ eſt, quamobrem minus tibi cõuenientia ſæpe ſomnies: quandoquidem vt aqua valde mota aut nullã imaginem, aut informem reddit, ita concitatus animus nihil ſynceri per quietẽ cernit.* POL. *Ergo nebulonibus ac fatuis, qui plurimũ ab omni cura vacui ſunt viſa obijciũtur veriora?* ROB. *Non dicas veriora, ſed minus multa. Atq; ita habeto, eos qui ſomniant, aliquoties vera ſomniare: etenim quis adeò artis eſt rudis, qui ſi tota die iaculatus fuerit, non attingat aliquãdo ſcopum? Quapropter non eo inficias, falſa mitti nobis ſomnia: ſed vel tibi dico, cũ Cratippo, qui ita vſus eſt oculis, vt vera cerneret, eum habere ſenſum oculorũ vera*

cernentium: econtrà, qui oculorum visu est deceptus, sæpe falsa cernere. Et quia nemo nō oculorum visu, qui fallacissimus est, decipitur: ita somnia præter diuina, & si libeat, quædam naturalia, quorum nostræ actiones vmbræ existere possunt, vana omnia habēda, quum fortuitò sæpe accidant, sic, vt veluti ebrij sæpenumero somniemus impura omnia, vti antè ex Socrate collegimus, aut quæ nunquā visa sint. Vnde natum, vt qui errant, delirant, insaniunt, eos somniare dicamus. Quapropter Moses sapiēter lege sanxit, ne obseruarētur somnia, quādoquidem ita generatim, semper diuina excipio, inania reperta sunt, vt ex eorū obseruatione, pauca admodum respōdere euenta, collegerit superstitiosa antiquitas. POL. Effare palàm: putas naturalia somnia excludēda, nécne? ROB. Si naturalis sit causa, cur putarim excludenda, vel dānanda? quum natura, vt diuus Ambrosius de fuga seculi ait, boni operis magistra sit. Exēplo nobis positum sit: Ego cogito, statuo, delibero, cras ire rus, si hac nocte me rus iturum somniauero: ecquid hic noui erit, quod obseruem, nisi vt faciam, quod decreuerim? Aut si turpe facinus facere putarim, & tale quid sese mox mihi dormienti obiecerit, quid mirum? Verùm vel mihi bono esse poterit, quum, si sapiā, ea sceleris imagine motus tum debeā à facinore abhorrere. Ac

natura sic boni operis magistra. Proin non est, quòd me istis quæstiunculis moreris. POL. Missa hæc faciamus, vt tibi detur, quod opere poscis tanto. Cæterùm vnum postulo, quid sit, quamobrem visa interdū multis tegātur inuolucris. ROB. Id si diuina sint, fit, vt qui intelligit, sic cognitū habeat se diuino afflatū lumine, qunado semper lumen adest in diuinis somnijs, declarās, quale sit Dei mādatum. Sic Ioseph intellexit somnio monitus sibi cū puero & matre illius fugiendum primo quoq; tēpore in Aegyptum. Sic Magi perceperūt, ad Herodē sibi non redeundū esse. Sin naturalis causa nō insit, atq; nō facile percipiat, vt iam certò sciat, dæmonum artificio ea obiecta esse visa. Ac istud est tertium somniorū genus, quo bene multi irretiuntur, nisi prudēter caueāt. Habes, quod quæsiuisti: iam tuo fungere munere. POL. Nunc tua opus est virtute, cuius, autore Cic. de Offic. interest, in primis perspicere, quid in quaq; re verum, syncerum, consentaneum, & consequens sit: id quod maximè poscit prodigiorum ratio, quam vt tādem ritè reddas, omnibus tibi neruis contendendum, laborandumq; arbitrare. At ipse illud primum omnium proponā, quod à Iosepho antiquitatis Iudaicæ lib. V. refertur. Quū enim reges Ammoreorum numero quinq;, iunctis pariter armis, ac viribus, bello peterēt Gabaonitas,

Iesus

Iesus Hebræorum dux amicis (paulò enim antè Gabaonitas in fœdus receperat) suppetias laturus, dum in reges mouebat, ecce subitò Dei nutu, nimbus cum saxorum grādine, crebrisq; fulminibus, in eos exortus est: & inde quum fugiētes miraculo territos Iesus persequeretur, vt eum dies non deficeret, Sol aliquādiu stetisse dicitur: adeò vt memoriæ apud Hebræos proditum sit, nunquam post homines natos lōgiorem extitisse diem. ROB. *Nego isthuc prodigium dici posse, quum, vti ais, diuino nutu factum sit, per quod nihil portendi quisquam iudicare potuit, quum repentè inciderit euētus. Ex quo miraculum potius, auxiliúmve diuinum per tempus latum appelles licet: quod facit, vt de eius causa reddenda, meū nihil esse rear hoc loco agere: quinimò mitte deinceps miracula referre, vt ne dicamur temerarij, quòd videamur velle arcana Dei perscrutari, qui nos talia non scire, sed mirari voluit.* POL. *Faciam quod iubes, & vt felix faustumq; sit principium narrandi, dabit prodigium condendæ Atheniensium vrbis: vnde Cicero in oratione pro L. Flacco, ait humanitatem, doctrinam, religionem, fruges, iura, leges ortas, atq; in omnes terras distributas putari. Siquidem vbi Cecrops in Attica regnum obtinuit, fertur olea in arce illa quæ postea Palladi dicata est, sponte enata, & fons haud procul*

ſubitò erupiſſe: atq; ijs prodigijs commotus rex, ad Delphicum miſiſſe oraculum, reſponſumq; datum, oleam ſignificare Mineruam, quòd ea arbor in eius tutela eſſet: & aquam, Neptunum: in ciuiumq; manu eſſe, ex vtrius nomine vrbem nouam appellatam vellent. atq; inde habitis comitijs, mulieres, quibus apud Atticos, per leges, perinde vt viris, licebat ſuffragium ferre, ſuperaſſe numero virorum partem, ob eamq; rem à Minerua, quam Græci vocant ἀθηνᾶν, *id eſt, Athenam, eſſe Athenas nomen vrbi inditum.* ROB. *De qua fece iſta hauſiſti? narraſti fabulam, vel hiſtoriam prodigij?* POL. *Fabulam, quia ſcio te nugas ſtomachari, de induſtria omiſi, quam Poëta in primo Georgicorum tangit, ita inuocans:*

–Tuq; ô, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti.

Et paulò poſt: Oleæq; Minerua Inuentrix. ROB. *Si hiſtoria eſt, non fuit prodigium: ecquid enim cauſæ ortus eius arboris exiſtere potuit, cur ſuſpicarentur aliquid de nomine imponendo nouo oppido, eſſe prænuntiatum: quum quotidie videamus eiuſmodi arbores, quæ nucleis vel baccis ſeruntur, in alienis locis naſci: vt nucem in quercu, laurum in ceraſo, ceraſum in mœnibus, ſemine in ea loca, aut in aliquas corticum rimas caſu ab auibus deportato, vel hu-*

mana

mana vi proiecto, & tamen nullum inde euentum sequitur. Item vbi locorũ non manant fontes, si terra quæ fœta est aquis, parum scalpatur? Quare nõ video in ea re aliquid inesse præsagij. O cæcitatem verè amẽtium hominum, ita Minerua, olea in alieno loco nata: ita Neptunus, fonte subitò scaturiente admonitus, Atticã suis muneribus honestauit? Fuit illa nempe ars, fuit dæmonum, qua Cecrops circumuentus, eos de re minimè quærẽda, vtpote quæ nullam addubitationem afferre debuisset, stultè cõsuluit. Paratus es, cerno, illud mihi opponere, Plinium lib. Nat. histor. XVII. in prodigijs habere, si arbores in suo non crescant solo. POL. *Eram sanè. nam ille tradit, prodigio fieri ex dulcibus poma acerba, aut dulcia ex acerbis: ex caprifico, ficum: ex olea, oleastrum: item arborem in Cumano subsedisse, & inde magnos rerum motus, bellorum etiam ciuilium sequutos.* ROB. *Bella mehercule euentorum prædictio: perinde quasi non liceat in dies singulos videre lætas sterilescere arbores, ac steriles rursus fœcundas fieri, si in pingue solum transferantur. id quod demonstrat Vergil. libro Georgicorum secundo:*

Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras,
Infœcũda quidem, sed læta & fortia surgunt.
Quippe solo natura subest: tamen hæc quoq; si quis

Inserat,

Inserat, aut scrobibus mãdet mutata subactis,
Exuerint syluestrem animũ, cultuq́; frequẽti
In quascũq; voces artes, haud tarda sequẽtur.
Necnon & sterilis quæ stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet. Item cùm constet, magnis aliquoties ortis imbribus, paßim fieri in agris labem, terrasq́; desidere, ad infinitam altitudinẽ, ac villis, nedum abores in illum hiatum sæpenumero corruere. Quæ quum ita sint, similiter leuitatis iudicio esse talia obseruare, indeq́; rerũ euentus quorum in ijs haud vllæ existere potuere causæ, metiri, quorsum pusillus culex tendat iter, dum acerbè stridẽs medijs feruoribus, circũ Padi ripas volitat. POL. Ad alia transeamus. Liuius libro ab Vrbe condita primo, refert Seruio Tullo, qui Tarquino Prisco Romanorum regi in regnum successerat, caput arsisse, & Tanaquilem reginam prodigium interpretatam, affirmasse viro futurũ, vt ille puer summos cõsequeretur honores: id quod euenit. ROB. Quod euenit, intelligo: at causam non reperio, quin nec quærendam puto. flammam enim illã pueri dormientis caput complexam, Plinius assignat mirabili ignis naturæ, ita libro secundo, cap. cvij. scribens: Quin & repentinos ignes existere, & in aquis, & in cerporibus etiã humanis emicuisse, Trasimenum lacum arsisse totũ, Ser. Tullo dormienti in pueritia ex capite

flammam

flammam emicuisse: Lucium Martium in Hispania, interemptis Scipionibus, concionantem, & milites ad vltionem exhortantem, arsisse simili modo, Valerius Antias narrat. Vide, nihil hoc loco flammam portendisse, Plinius dicit. Sed neq; Liuius Lucij Martij flammam prodigiosam probat, quum libro tertiæ Decadis quinto, sic de ea meminerit: Apud omnes magnum nomen Martij ducis est, & veræ gloriæ eius etiã miracula addunt, flammam ei concionanti fusam è capite, sine eius sensu, cum magno pauore circumstantium militum. Hæc ille. Flamma ergo altera Seruio regnum prædixit, altera verò Martio haud quicquam? At dices: Imò Martio victoriam, quam de Carthaginiensibus paulo pòst reportauit. Respondebo, istuc à Romanis militibus minimè notatum, qui, vti Liuius ait, flammam loco miraculi, non item prodigij habuere. Et id quidem sapienter. nam tales flammas Aristoteles Meteororum primo, docet mira naturæ vi, in infima etiam regione cœli gigni, variasq; præ se ferre formas. Atq; hinc concludere licet, illam flammam Seruij vana hominũ opinione prodigium regni fuisse, postquam talia naturæ opera voluit vetustas non ratione, sed sola futili euentorum obseruatione metiri, causamq; eorum dementer ducere. nam non flamma fuit in causa, quamobrem Priscus Tarquinius

nius

nius Seruium sibi generum delegerit, ei enim filiam despondit: sed eius indoles, eius genus: quippe ille Tullo patre regia familia orto, qui Corniculi excidio, pro patria fortiter pugnans interierat, & Ocretia matre nobili muliere natus est, habitusq́; seruus, quòd mater grauida apud Tarquiniū captiua fuerit. POL. Vis illud saltem dare, eam flammam iniecisse Tanaquilis animo Seruij indolis præsagionem? quandoquidem, Cicerone teste, in Platone futura eloquentia ex eo præuisa dicitur, quòd ei in cunis paruulo dormiēti, apes in labellis cōsedissent. Idem quoq; in diuo Ambrosio accidisse, memoriæ proditum est. Quid, quòd Midæ illius Phrygij diuitias fore immanes prædictum est, quia ei puero dormienti formicæ in os tritici grana congesserint? ROB. Concedo, si ista omni modo vera sunt: nam videntur mihi bellè coniecta. aut, sicut vulgò creditur, si nutu diuino facta non negaueris. Nec obstat, quod Plato & Midas nostri ciues non fuerint. Etenim tantū apud Deum virtus & benefacta valent, qualia vel in ijs ambobus, ille fore prospexerat. vt (autore diuo Augustino) libro de Ciuitate Dei 5. Romani sic meriti fuerint, vt ipse Deus verus quē nō coluerant, eorum auxerit imperium. POL. Luculenter, scienter, sentētiosè ac verissimè tu quidē, vt omnia semper, quæ scire cupiueram, explanasti.

nasti. Quare iam necessariò et sermonis et ambulationis finem faciamus. nam, vti vides, tempore excludimur, Sole festinanter ad occasum tendente iter.

LIBRI II. FINIS.

POLYDORI VERGILII VRBINATIS

Dialogi de Prodigijs, Liber III.

*

ROBERTVS.

I S T V M *tertium diem, quî iam obrepsit, ne nobis quidem vacare sinamus à disputatione, quò tandem secundis quasi ventis huc vecti, cursum nostri sermonis de prodigijs, feliciter cōficiamus. Quoniā autem in oratione tua, quæ haud scio quantum in se habere possit veritatis & rationis, quum in re superstitiosa ac vana versetur, vt insit saltē ordo, placeat illam manare à partibus quatuor: quarum vna sit ominū, ostentorum, auguriorumq́; alia motuum cœli atq; terræ: tertia mōstrorum, ac portentorum, quarta mirabiliū, quæ omnia*

omnia antiquitas in prodigijs habuisse videtur, quò sine vllo errore, ad rationem veritatis via perueniamus, à nobis iam inita. Ac sic vt commodùm quæ cœpisti persequare, & ipse simul ad ea argumēter, licebit. POL. Gaudeo vtiq; præscripsisse mihi te, quatenus à me disputari velis, qui ne digitum quidem à linea discedā. Sed iam ad rem. Quum Aeneas ad Italiam aspiraret, Anchises eius pater omen futuri tumultus notauit ex equis, quos vidit pascentes. Vergilius est testis, qui libro Aeneid. iij. sic canit:

Quatuor hic primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum latè, candore niuali.
Et pater Anchises: bellum ô terra hospita portas,
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Romulus, orta cum Remo fratre de imperio discordia, augurio rex est declaratus, qui vrbē conditam ex suo nomine Romā appellauit, quæ etiamnū vrbium regina habetur. Lucius Tarquinius Priscus, Demarathi Corinthij filius, ob seditiones domo profugus, & in Hetruriam profectus, quum Tarquinijs peteret Romā, ita accidit, vt ei ad Ianiculum carpento sedenti, aquila pileum sustulerit: & quum altè volasset, inde reuersa capiti reposuerit. Tum Tanaquil

quil vxor, vt Tusca mulier, ab ineunte ætate prodigiorum perita, omen futuri imperij ex ea re accepit, ac nõ multo pòst Priscus in Anci Martij Romanorum regis demortui locum subrogatur. Tarquinio Superbo Romanorum regi omen perpetuitatis Romani imperij subitò extitisse fertur, quod dum in Tarpeio monte, templi Iouis fundamenta faceret, Terminus Deus, cui cum nonnullis alijs dijs, sacellum eo loci erat, noluerit augurio cedere. Sed & magnitudinis imperij inde omen alterum sequutũ. quippe in ipsis fundamentis, hominis caput integra facie repertũ, quod & monti nomen Capitolium indidit. Tertium superioribus contrariũ postremo regi fuit, quum anguis in regiam irrepserit, ex quo Tarquinius casum suũ coniectura auguratus dicitur. autor T. Liuius. At hæc obseruatio multo celeberrima ad posteros manauit: nam Marcus Marcellus Consul, collega Tito Quintio Crispino, quum immolaret, in prima hostia iecur sine capite inuentum: & Casini examen apium consedit, muresq; in Capitolio aurum roserunt. Illo ipso die ambo consules iuxta Tarentũ, ab Annibale insidijs intercipiuntur. in quo tumultu Marcellus interfectus est. C. Domitio Aenobarbo, L. Quintio, cõsulibus, Tybris contrà quã consueuerat, loca plana vrbis inundauit. Haud ita multo pòst, bellũ cum Antiocho Syriæ rege

ortum. Paulus Aemilius Cos. post D X C. annū, quàm vrbs condita est, iturus ad bellū faciendū Perseo Macedoniæ regi, omen victoriæ accepit à filia, nomine Tertia. Is è senatu domum rediēs, offendit puellam tristiculam: sciscitatusq; quid esset, cur ei dolor inureretur? Mi pater, illa inquit, Persa perijt. Tū pater puellā arctius cōplexus: Accipio omen, inquit, filia. nā catella, Persa nomine, mortua erat. Id ferè temporis, duo angues in lecto Sempronij Gracchi reperti sunt, quos vt ille cōprehendit, ab aruspice monitus est, si marē emisisset, vxori breui tempore esse moriendū: si fœminā, ipsi. qui tantum abfuit, vt suā Corneliæ vxoris vitæ salutē prætulerit, vt fœminā protinus emiserit, ipse paucis pòst diebus è vita excessit. Huius Gracchi filius Tiberius, Tribunus plebis, eo illo die quo est in Capitolio interfectus, offensionem pedis vt dirū & mali ominis ita abhorruit, vt domū redire voluerit, sed amicorū hortatu cōfirmatus in fatū incidit. C. Claudius & L. Petellius Coss. quū, vt moris erat, immolassent victimas, iecur subitò tabuit. Nec ita multo pòst, Claudius morbo, Petellius Ligurum armis interijt. M. Marcello, P. Sulpitio, Coss. dum comitia fierent, miluus volans mustellā raptā de Iouis cella in medium consessum patrum demisit. Eo ipso anno vbiuis gentiū pax parta est. Iam tū, credo, in hominū mentib

mentibus inhæserat, mustellæ occursum ominosum esse: id quod hodie obseruatur, quãdo Reipub. Romanæ *bono fuit, quod illa mustella è medio sublata est, vt ne vltro citroq; ad comitia commeantibus fortè obuia facta, metũ alicuius impendentis periculi inijceret.* P. A*fricano*, C.F*uluio*, Coss.M*inturnis lupus vigilem laniauit.* I*n* S*icilia*, R*omanus exercitus à fugitiuis superatur.* A*ntiochus* S*yriæ rex quũ* P*arthis bellum faceret, hirũdo in eius tabernaculo nidulata est.* I*lle cõmisso prælio, occiditur.* S*er.*F*lacco*, Q.C*alphurnio*,C*oss. bubo in* C*apitolio cecinit, quum apud* N*umantiam res* R*omana inferior fuit.* P.P*lautio*, M. F*uluio*, C*oss.bubo in* C*apitolio visus, quum* F*regellæ ob factam in* R*omanos coniurationẽ sunt dirutæ.*M.A*emilio*, D.B*ruto*, C*oss.*D*idius* L*ælius* P*ompeij legatus, quum aduersus* Q.S*ertoriũ in* H*ispania bellũ gereret, inter pabulatores occiditur: quod fatũ ipse sibi timuisse dicitur, propterea quod viderit accipitrem supra caput volitantem.* S*ergio* G*alba*,M. S*cauro*,C*oss. auis incendiaria in* V*rbe visa, quũ* P*ado ac lacu* A*rretino intumescente, multa hominum millia obruta sunt.* C. I*ulius* C*æsar dictator, illo die quo primùm in sella aurea sedit, quum sacrificaret, in bouis opimi extis cor non inuenit, vnde suum interitũ præsentire potuit.* M. L*epido*, M*unatio* P*lanco*, C*oss. dum apud*

Philippos Thraciæ vrbem Brutiani milites in prælium contra Octauiũ, & M. Antoniũ iret, in castrorũ porta offenderũt Aethiopem: quem tametsi vt alicuius aduersæ rei nuntium illico trucidarunt, tamen malè pugnatum est, & Brutus ac Caßius duces interiere. Circiter annum salutis humanæ, L. Claudio principe, in Britannia simulacrũ victoriæ quod Camuloduni erat, subitò conuersum retro, quasi hostibus cederet, quum facta repentè insulanorum rebellione, ad LXX. Romanorum sociorumq; millia cæsa sunt. Autor Cornelius Tacitus. Anno salutis M. LXVII. quum Guilielmus dux Normaniæ infestis armis Angliam attigisset, vbi in terram descẽdit, victoriæ omen accepit, ex eo, quod altius in harena vestigia posuerit: qui statim post, superato Haraldo rege, in insulæ possesßionem venit. Quid, quod omen ex quauis re accipi solet? Nã ex auriũ sono, bonum vel malum: ex vini salis've effusione in mensa, obseruatur etiamnum. Item nostrorum quoq; monachorum occursus, præsertim matutinus, vulgò ominosus habetur, eaq; vana opinio vbiq; gentium, per hominum animos iampridem peruaserat. Sed ex innumerabilibus, iam ne plura: quando reliqua omnia eiusdem generis sunt, ita vt si hæc quis refutauerit, cætera iaceant necesse sit. Tu ergo quid habes de istis dicere? ROB. Perorasti, pro tuo iure: nunc

nunc ad pestiferas veterum nugas, demonumq; techinas pauca refellendi causa respondebimus: & ad id ominis in primis, quod ais Aeneæ ad Italiam applicanti primum extitisse. Anchises equorum ostento, bellum Aeneæ filio cum Italis fore coniectauit, idq; tu Vergilij testimonio cõprobasti, nec vltrà progressus ad alia transiuisti. Quæ malũ est ista tua reticentia? dimidiatam enim Anchisis interpretationem recitasti, callideq;, vt reor, subticuisti, quæ ille de equis apud eundem poëtam subiecerit, inquiens:

Sed tamen ijdem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre,
Spes est pacis, ait. *Nota, quæso, quæ sit conueniens & coniuncta constantia interpretationis ostenti, quod in vtranq; partem sic vertitur, vt nihil certi ostendere, nihil fidei facere poßit, quum inter se valde repugnantia contineat: nil enim est tam paci contrarium, quàm bellũ, atq; bello, quàm pax. Vnde sequitur, vt illi equi casu id temporis ita pascentes, non videantur aliud certius cuiquam portẽdisse, quàm ventri satietatem, atq; herbæ perniciem. Quòd autem Romulus vrbem Romam auspitio condidit, quid fecit aliud quàm quòd perspicuè ostendit, se cũ oculis tum mente captũ existimare, esse in prouidendis reb. augurandi scientiam: & exemplũ posteris reliquit, quò insanirẽt perpetuò? Id quod*

nauiter est secutum. nam tanti semper Romanis eius institutum, tametsi delyrationis maleficæ plenum, fuit, vt illud mordicus omni tempore, atq; accuratè retinuerint, ad vulgi magis opinionem, quàm ad vllam reipub. vtilitatem: quamuis pro certo semper habuerint, Romulum auspitijs, Numam sacris constitutis, talia ciuitatis iecisse fundamenta, vt nunquã cadere posset: qui ita falsis opinionibus adducti, augurum quasi æternorum rerum rectorũ collegium, iusq; condiderunt. O vim erroris vehementem, Videamus, per Deos immortales, quantũ aues suo volatu, garritu, gustu, aut cantu, rebus humanis emolumenti vtilitatisq; attulerint, quando ipsa Romana ciuitas summa auguriorũ obseruatrix, funditus contra Romuli auspitium tandẽ omnibus libertatis bonis, statim post septingentesimũ annũ, quã cõdita fuerat, à C. Iulio Cæsare euersa est. Ita Romani operã auspitijs futiliter datam luserunt. Quod longè prudẽtissimus Solomõ ita vsuuenire, scienter demõstrat, quum de homine mẽdaci loquitur in suis Prouerbijs: Qui nititur mẽdacijs, is pascit vẽtos, idem autẽ sequitur aues volantes. Porrò ille perinde frustra laborat, qui sequitur aues volãtes, quũ cõsequi nequeat: ac qui earũ obseruat volatum, quia quorsum sint ituræ, nemo homo certum scit. Cæterùm iam ad rationẽ naturalẽ veniamus,

mus,qua duce, omnem, ſpero, veterum religionem eradicabimus. Siquidem belluæ ſenſu tantum mouentur,ad idq́; ſolum quod adeſt,quodq́; præſens eſt,ſe accommodant,nihil præter ſerenas turbidásve tempeſtates, vti à nobis abhinc biduum,in primo noſtro ſermone appoſitè demonſtratum eſt, futurum ſentientes. Quocirca aues, vt rem noſtram tãtum agamus,naturæ impulſu,vtuntur ſui corporis motu, vt volunt, membraq́; porrigunt , contrahunt, flectunt, contorquent,eaq́; omnia antè efficiunt, quàm cogitẽt. Quæ quum ita ſint,quotuſquiſq; eſt adeò mentis errore affectus , cui permirum videri debeat, ſi aues hàc atq; illàc volantes , ſeſe in vnum vel alterum locum abdant?tum à dextra,tum à ſiniſtra parte canant?Nam noſtri,teſte Cicerone, ſiniſtra,Græci & Barbari dextra, meliora ducebãt. ſi quum fame affectæ raptim paſcuntur, aliquid ex ore cadat:ſi trepudium deniq; faciãt: & tamen mortales quamplurimi inſulſiſsimè eos motus , vt certa rerum futurarum ſigna, olim obſeruabant:perinde quaſi aues ipſæ,Iouis, qui eis inſtar Dei omnipotentis erat,interpretes fuiſſent.Atq; hæc ratio facit, vt hominem, vnũ animantiũ omnium rationis & conſilij plenũ, nõ mediocriter pudere debeat, credere Deum dare ſibi vias ad exitus rerũ prænoſcẽdos,per auiculas: quæ quũ volitare incipiunt, ipſa neſciũt,

quò ire velint: ac ita fidem præbere aruſpicinæ arti, poſt hominum memoriam fraudulentiſsimæ, ab Hetruſcis, vt ipſi prædicabant, quondam quæſtus faciẽdi cauſa fallaciter excogitatæ: quæ quatenus valeat, haud quiſquam omnium dilucidius feſtiuiusq; edocuit, quàm Moſſolamus, homo Iudæus, virq; rei militaris ſcientia, ac ſingulari prudentia præditus. Is teſte Ioſepho contra Appionem, poſt Alexandri mortem, Macedones Græcosq; ſequutus, quum aliquando in expeditionem duceretur, & in itinere augur viſa in arbore aue, auguriũ captare vellet, vtrum præſtaret, pedem ex eo loco efferre, an referre, atque iuberet agmen cõſiſtere, ſtatim religionem auerſatus, eam auem ſagittis confecit. Quo viſo, augur & ſocij quum ira flagrarent, ille auem de terra ſuſtulit, atque inquit: Ecquid furitis mali dæmones? ecce auem, potuítne iſtæc noſtri itineris euentũ prædicere, quæ ſuæ ſalutis neſcia fuit? ſi enim futura præuidiſſet, haudquaquam ſe in eam arborem contuliſſet, metuens ne à Moſſolamo ſagittis peteretur. Quod tu documentũ ſapientiæ plenum in tuo de Inuentoribus rerum opere, commodum poſuiſti. Iam exploratum habes, aruſpicinam rem commentitiam eſſe, hicq; ita iacere, vt qui ei fidem adiungat in manifeſto errore verſari dubiũ non ſit. Sed fortaſſe mihi tu nõ intẽpeſtiuè, nec ab re, obijcies illos coruos,

quos

quos in Regnorum tertio libro legimus, apportasse in solitudinem Heliæ prophetæ cibaria. Cuius sanè rei nihil est quòd aut causam, aut rationem reddendam quæras, quum illud factum constet iussu Dei cuncta regentis. Est quisquã, qui tanti rectoris censor esse possit, vel debeat? Hæc hactenus satis cõmodè, sermonis gratia. Verùm res nostra bene se habet. iampridem desitum est apud nos augurari: nunc auiculas, vt Dei nuntias non obseruamus, sed eas animi causa, interdum capimus, dulciterq; edimus: id quod Christianæ religioni duntaxat referendum est acceptum, quæ nos ita instituit, vt tandem aliquando saperemus. Ad reliqua transeamus. Quod per aquilæ augurium, Tanaquil mulier Hetrusca perita fraudis prospexit futurũ, vt Tarquinius Priscus vir aliquando rex crearetur, id nego esse factum, nam Liuius nõ tradit quempiam, præter vxorem, vidisse aquilam auferentem, & reponẽtem eius capiti pileũ. Tanaquil potius auro, cuius copiam habebat, quàm augurio freta, iampridem, vt testis est idem Liuius, viro, quem honoratũ videre cupiebat, Romam migrandum existimarat, quòd ei in mentem venisset Tatij regis, hominis Sabini, qui in ea regnum obtinuerat: item Numæ aduenæ, ad id accersiti: quorum exemplo mulier honoris auiditate inflammata viro persuasit, vt ab Tarquinijs Romam pete-

ret. & quum audiret nouum populum facile vt rudem ad auguriorum admirationem rapi, eo artificio vsa est, quo multitudo adducta, simulq; largitione excitata, Priscum dignum fortuna quàm amplissima putauit. Ad omen perennitatis imperij Romani veniamus. Terminus Deus noluit Tarquinio Superbo regi, templum Iouis in Tarpeio monte condituro, cedere loco. Sic iam tum certa quasi opinio per animos hominum peruaserat, rem Romanā perpetuam fore. Vnde illud apud Vergilium, Iouis oraculum:

Imperium sine fine dedi. *Ad id vel Horatius alludit, quum libro tertio Carminum sibi blanditur de æternitate sui operis, ita canens:*

Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit libitinam, vsq; ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.

Sed heu, vt omen vanum, ita nihil valuit. cecidit enim tantum imperium, vel etiam ante diē, quum vix DCC.*annos libertate incolumi steterit: tot siquidem à Romulo vrbis conditore interfuerunt, vsque ad Cæsarem & Pompeium, Reipub. euersores. Catullus:*

Eóne nomine vrbis opulentissimæ
Socer, generq; perdidistis omnia?

Rei magnitudinem alterum omen, vti exposuisti, portendit, quod reperto in ipsis templi Tar-

peij

peij fundamẽtis humano capite, vates pronuntiarint, eo loci arcem imperij fore. Hic te eatenus vacuo animo attentum volo, vt tandem intelligas eos vates dolis semper armatos, eiusmodi ostẽti fraudulenta interpretatione, & artem suam omni religione, & mortalium pectora, si sapuerint, solicitudine quærendi futura, in perpetuum euacuasse. Viso ostento, senatus legatos in Hetruriam misit, sciscitatum quid portenderet. Olenus Calenus, longè id temporis celeberrimus vates, illud omen fortunatum ratus, per callidam interrogationem in suam gentem transferre tẽtauit: quippe qui postquam circunducta baculo linea, locum ponendæ ædis in solo ante se notarat, sic fatus est: Hoc dicitis Romani, hic templum Iouis futurum est? hic caput inuenimus? Romani à filio vatis admoniti, si responderent, Hic, fatum in Hetruriam transiturum, responderunt: Non equidem hic, sed Romæ, caput inuentum dicimus. Ac ita retentum augurium. O inauditam delirationem, maximè tamen vtilem non temerè quicquam credentibus. hinc cognoscere licet, quid põderis auguria, quid ostenta, quid portenta apud nos habere possint, si recta sapimus. Sed quia vno argumento, cætera id genus insanarum mentium commenta repudianda ducimus, vtemur istiusmodi fatalis rei definitore locuplete Plinio, homine eiusdem

dem sectæ, atq; illi fuere, qui prodigia primùm obseruare cœperant. Is itaq; lib. Natur. historiæ xxviij. Postquam Oleni vatis fraudem descripsit, ac aliâs tale quid accidisse, quum quadrigæ fictiles quæ in fastigio eiusdem templi ponendæ erant, in fornace creuissent, ita subijcit: hæc satis sint exemplis, vt appareat ostentorum vires & in nostra potestate esse, ac prout quæq; accepta sunt, ita valere. In augurũ certè disciplina constat, neq; diras aues, neq; vlla auspicia pertinere ad eos, qui quamq; rem ingredientes, obseruare se ea negauerint: quo munere diuinæ indulgentiæ maius nullũ est. Hactenus Plinius. Hæc autem summa nostræ disceptationis, hæc vna ratio, conclusio, & veritatis testificatio, tibi instar sit omnium argumẽtationum: quando iam testimonio tanti autoris diluxit, in auspitijs, in prodigijs nihil religionis, nihil fati, nihil veri inesse: sed vanam tantum superstitionis opinionem nostram existere, quum illa sine ista nõ habere vim vllã in nos, iam certò scimus. Ex quo sequitur, vt nullum sit neq; auspicium, neq; augurium, neq; prodigium, si nos nullum obseruemus: quo profectò nil verius dici potest. Quum igitur sis rem aliquam inchoaturus, ora Deum, vt felix faustumq; sit, eiq; vni cuncta committas, præterea nulli alij, neq; auibus, neq; portentis, neq; extis, neq; falsis vatibus: id quod si feceris,

ris, res tua commodùm cadet, & ad te prodigia minus pertinebunt: quod Plinius munus diuinũ appellat, & id quidem sapienter. nam quum tot malæ artes ad nos peruenerint, beneficium Dei est, si ab illis poßimus manus abstinere. Desine proinde obseruare, ac credere, aues, aliásve bestias, siue cœli & terræ motus, aliquid tibi portendere, quod facere in tua est potestate, vt Plinius ait: atq; sic misera liberaberis solicitudine. Animaduerte quæso, cuiusmodi erat illud inuẽti capitis fatum, si fraude Hetruscis bono, & Romanis malo esse potuerit? Vnde proficiscebatur? an à Deo? quem aiebant sic dare vias mortalibus, ad significationem rerum futurarum scientiæ? Quod si ita esse facias, apparebit inconstantiam cadere in ipsum Deum, quo nil ab eo est alienius. Ergo non est quòd amplius dubia de prodigijs sumamus, pro certis atq; conceßis, quũ eorum vires perinde in nostra resideant opinione, vt morbi grauitas in ægrotantium cogitatione: si enim vehementer febris acceßio menti inhæserit, ita fiet, vt citius accedat. Atq; hic omnis nostri sermonis pugna senescat, quum obseruare prodigia, sit amentiæ, non obseruare, sapientiæ: & qui curauerit, se metu aut vana spe onerabit: & qui non curauerit, se periculo eximet. POL. *Ne valeam, si puto rem de qua summa contentio erat, quẽquam præter te, acutius*

tius veriusq; tractare potuisse: attamen ex contrario argumento perspicuum videtur, auspicia seu prodigia ad nos pertinere, si ea attendamus: id quod euentorum exitus, quos antea docui, facile comprobant. Quomodo igitur accidit, vt si talia portenta obseruemus, in nos valeant: sin minus, nihil valeant? ROB. *Quòd non valent, de ea re nuper dictum est: quòd verò valere putantur, id fit arte dæmonum, qui semper præstò sunt, vt nobis insidientur, & illud quidem nō sine* Dei *nutu, qui vult nos tentatos, quò de nobis periculum fiat, vtrum perfecti inueniamur, necne. Vtrunq; Christus verum esse docuit, qui tentari voluit, vt est apud* Matthæum. *ac apud* Ioannem *sic* Pilato *respondit:* Nullam *haberes in me potestatem, nisi data esset tibi desuper.* Ergo *istiusmodi momenta rerum nobis negligenda sunt, ne si ea curanda duxerimus, nostro merito dæmonum insidijs circumueniamur.* POLY. Teneo *nunc rectè: tu verò cætera persequare, rogo, vt ne regulam nostri sermonis, quam dedisti, tute prior rumpere videaris.* ROB. *Cogis me ingredi in negotium iam cōfectum. quippe probaui ostenta ex nostra futili opinione pendere qua vna ratione & portenta & prodigia tollamus, ac contemnamus, consentaneū est: sed tibi operam vel longiorem dabo.* Regi Tarquinio Superbo *propter regiam viso angue, venit in*

men

mentem, credo, venenum suæ conscientiæ, quo demum confectus est. Hem emißio alterius anguis Graccho mortem portendit? Si neutrum Gracchus emisisset, boni patrisfamiliâs officium fecisset, qui nullum debet noxium animal circa suam domum esse, pati. Hoc inquam si fecisset, aruspices non responderunt, quid sequutum esset, adeò secũ omnes delyrare peruolebant. Quod M. Marcello, C. Claudio, L. Petellio, C. Iulio Cæsari, more patrio victimas immolantibus, iecur primùm sine capite, deinde tabefactũ, & mox nullum cor extitit, eisq; mortem portendit, id magis rideo, quàm miror, quia longe dignius supplosione pedis, quàm responsione iudico. Horum omnium causas si quæreremus de aruspicibus, nullas, opinor, scirent reddere, inscitiamq; belle excusarent, quòd extorum inspiciendorũ potius, laniorum atq; medicorum, quàm suum officium esset: nã reuera, melius lanius quàm vates, medicus quàm hariolus, intestinis sedulò visis, si sana, si putrida, si macie attenuata, facere iudiciũ potest, an bestia victura fuisset, nisi esset occisa aut homo incognito morbo mortuus quibus remedijs potuisset iuuari, quò sic viuorum saluti consulatur. Quin istuc munus ad pastorem & agricolam atq; adeò pertinere dixerim, vt ille si exta malè affecta videat, protinus cætero pecori prouidere, pascua mutãdo: & iste habitu atq;

colore

colore eorundem, ſterilitatem agrorum, vel fertilitatem futuram, ſi Democrito credimus, percipere, eoq; rei domeſticæ maturè proſpicere poſſit. Sed inquies: Cur vates illi, quum eorum munus non eſſet, per exta diuinabant? Quia impoſtores erant importuniſsimi, & quum eis vulgò crederetur, ex fallacia, multo fallaciſsimam artem confecerunt: quæ tandem euanuit, quando homines minus creduli eſſe cœperunt, id quod arguunt noſtra tempora, nemo enim nunc per exta iudicat, propterea quòd nullus tam vecors eſt, qui fidem dictis habeat. Cui aniculæ poſsit perſuaderi, eſſe in extis aliquã vim, quæ declararet futura? vel aliquod animal, quod ſanguinem habeat, ſine corde eſſe poſſe quum Ariſtoteles lib. 4. de Natura animalium, affirmet nullũ vnquã animal quod corde careret, eſſe natũ. Vt igitur iſta omnia naturam, ita fidem excedunt. Item examen apum quod Caſsini conſedit, & mures qui aurum in Capitolio roſerunt, ac Tyberis incrementum, fama tenet pericula & bellum oſtẽdiſſe. Pulchrè notata ſunt: examen apũ damno fuit ei, ex cuius agro, aliò aduolauit: mures aurum rodendo, fortaſſe aliquem dentiũ fregerunt: ſed mirabilius extitiſſet, ſi voraſſent aurum, quum murium proprium ſit rodere. Incrementum Tyberis velut belli furor, per agros magnam ſæpe facit labem. Rei ridiculæ nimis ſeriã

habes

habes interpretationem, qua te cōtentum volo: festinans ad omen Macedonicæ victoriæ. Lucius Paulus iturus ad bellum contra Perseum Macedoniæ regem, omen à filia cōsequendæ victoriæ, vt exposuisti, accepit. omen fuisse nego, in quo nulla neq; naturalis neq; diuina existit ratio. Num vox puellæ, tam dati patri à Senatu negotij, quàm rei gerēdæ nescientis, potuit de tanto belli exitu quicquam certi significare? aut Deus per mortē catellæ, voluit ducem copiarū victoriæ antè monitū? Fuit mentis erratio, vel honoris cupiditas. Paulus audita Persæ catellæ morte, putauit allusionem ad Perseum regem, quem vincere cupiebat, nominis similitudine factam, vel incōmodo domestico se maius euasurum damnum, atq; sic se incolumē victoremq; belli rediturum. Nam nunc etiam ea insania in vulgi opinione manet, vt si quis charū animal amiserit, ita se consoletur, vt ducat morte animalis expiatū esse, si quod familiæ impēderet malum. Mittamus igitur de eiusmodi omnium superstitione disputare, ne bonum tēpus fabulis demus, quando minima quæq; offensio animo insano omen dare potest, vti Tyberio Graccho accidisse dixisti. Exempli causa: Quis ad bellum iturus, vbi hodie plus tormentorū boatus, quàm armorum strepitus existit, si socium fortè (adsit reuerentia verbo) oppedētem audiuerit, num meritò

suspicabitur, se tormẽtorum ictibus periturum? Ac sexcentis talibus rerũ momẽtis quotidie terrebere, nisi ea ipsa duce ratione despicere, ac Deo te tuaq; semper in tutelam cõmittere volueris. Quòd mustella, quòd lupus, bestiæ inauspicatæ sunt, nil mirũ, quum raptu viuãt: & præsertim lupus, qui fame affectus nõ modò non terra, sed ne humana quidẽ carne abstinet: nam nocturno tempore cùm homine cõgredi non formidat. Ergo res noua non fuit, si vigilẽ laniauit: nec conuenit, vt stultè ad nostrã vertamus perniciem, quoties hasce bestias venantes videmus. Item quòd bubo, quòd hirũdo, quòd accipiter, quòd incendiaria quæ spinturnix vocatur, vel quæcũq; quæ ex sacris aris carbonem ferat, fatalis fuit, non video quid sibi voluerit antiquitas, in eiusmodi rerum admodum tenuium obseruatione, si enim aues istæ fatales erant, sequeretur, vt aliquid semper mali enuntiarent, signumq; non aliud nisi triste darẽt. Sed quum tu ex veterum oscitatione, vt ita potius dicam, quàm ex obseruatione, demõstraueris, bubonem rem modò lætam, modò exitialem Romanis ostendisse, iam istud contrà est, quàm fatum ferat: quia quum omnis prædictio mali eo probetur, quòd cautio adiungi queat, quomodo id fiet, si nuntij signum internosci nõ potuerit? Atq; ita innocẽtes auiculæ huc illhuc escæ quærẽdæ causa volãdo, vel natura

tura duce, crebro canēdo, si te circūsteterint, non est quod vereare, si sapias: at tua facta potius tibi putes bona maláve portēdere. tametsi etiam nunc sunt quàm plurimi, haud sanæ mentis homines, qui bubonis vocem vt fatalē abhorreant. Sed illud vel magis nugatorium, dicere, nedum credere, hirūdinem in Antiochi tabernaculo nidulatam significasse ipsius regis exitium, quum auis illa nobis domestica, non alibi quàm domi nostræ soleat libētius nidū facere. Quod postremò in Britānia, simulacrū Victoriæ paulò antè Romanorum cædem, retrò conuersum fuit, & Gulielmo Normanorum duci altum pedis vestigium regni adipiscēdi omen extitit: alterū fraude humana factū dixerim. nam ita Britanni ad defectionē parati, Romanos eius superstitionis veneno à pueris imbutos terruerunt, vt suis minus viribus cōfiderent: alterum verò vanitatis plenū. Esto, dux quia in arena altè fixit pedem, ita futurum coniectarit, vt Angliam obtineret. Quid illud fuit, quod tale quid sperare posset? Nempe nihil commune habet pes cum imperio, quum sit ima pars corporis: vel arena, cum tam nobili regione. Bella magis amētia, quàm metaphora. Fluxit pes, quare? Quia arena suapte natura arida fluctuat, solidū iter non præbet. Eiusdem quoq; generis omen ex sono auriū, vini faliuq; effusione putato. Auditum, Plato in Timæo

definit esse pulsationem quandam ab aëre, per aures, cerebrumq;, & sanguinem ad iecur penetrantem. Tentãtur autem aures, autore Galeno, suis morbis, & maximè quum fit inflatio eius spiritus exitu prohibiti, cuius rei causa sæpe sonitus eduntur. Igitur qui credit se bene audire, quum dextra auris, vel malè, quũ sinistra insonat, ille vanitatis plenus, nescit bonam aut malam sui corporis valetudinem internoscere. Vinum verò ex veterum cõsuetudine, lætitiæ est, si effundatur, non item superstitionis causa. Nam Scythæ & Thraces, vt idem Plato in primo de Legibus testatur, in delicijs habuere, vestes mero perfundere, quod Germani hodie in cænis opiparis spargunt. At salis alia ratio: is enim sacer est, & amicum Deo, vti Plato vocat, corpus, quod corruptionis sit præcipuus expulsor, sine quo nullum olim fiebat sacrificium. Proinde qui sale ad rem non necessariã vtitur, vel fortè aliquà eum proijcit, peccare iudicatur, ipsumq; pœna quædã manere videtur: vnde ominis opinio orta fertur. Quòd monachorũ occursus est ominosus, id vestitus varietati aßignauerim, bona enim illorũ pars nigro amiciuntur vestitu, reliqui verò discoloribus miro quodã artificio cõfectis vtuntur vestibus. Ex qua re vt illi perpaucorũ hominum forsitan cęteri homines volunt, sic multo dißimillimi videtur, & suo occursu aliorum

mouent

mouēt mortalium mētes, quæ minus, firmæ sint. Atq; primā tuæ quæstionis partem explicatam habes: alteram si vis, proponito. POL. *Narrare pergam. Agrippa Menenio, P. Posthumio, Coss. bellum in Sabinos gerētibus, fama est, hastas militares ad multā noctem in cœlo ardentes visas, & flāma nihil consumptas, ac eo prodigio animos Romanorum confirmatos, facta maiore impreßione, vicisse. Sp. Posthumio, Q. Seruilio, Coss. cœlū ardere visum, quum annus tam hominibus quàm pecori longè pestilētißimus fuit. Haud multo pòst, vox à quodam Veiente homine edita est, futurū, vt Romani breui tempore Veijs potirētur, si lacus Albani montis nulla rationabili causa, in altitudinē insolitam auctus, primo quoq; tempore emitteretur; idq; Delphico oraculo cōfirmatum, ac iussum, vt donum Apollini mitteretur. Ita lacu siccato, Veiētes à Camillo sub Romanum imperium redacti sunt. Cn. Domitio, L. Annio, Coss. Arimini tres Lunæ visæ, paulò pòst Ligusticum bellū est multa cæde gestum. Cn. Seruilio, C. Flāminio, Coss. nauiū species in cœlo extitere, ædes Spei de cœlo tacta, terræmotus per Italiam ingēs fuit, quum à Romanis ad Trasimenum lacū, plaga luctuosa accepta. M. Marcello, Valerio Leuino, Coss. Victoria quæ in summo Concordiæ fastigio fuerat, fulmine deiecta: sequutum est magnū vrbis*

incendium, per Campanos iuuenes factũ. L. Veturia Philone, Q. Cæcilio Metello, Coss. Albæ, duo Soles visi. Lux Fregellis noctu orta, quum Pœni apud Betulam à Scipione victi, Hispaniæ possessione Romanis cesserũt. Anno belli Punici secundi xiiij. C. Seruilio Cæpione, Cn. Seruilio Gemino, Coss. Anagniæ, sparsi primum ignes per cælum, deinde fax incensa arsit. Scipio in Africa, iuxta Vticam, Pœnorum castra combußit. Cn. Cornelio Lentulo, P. Aelio Peto, Coss. Solis orbis minui visus est, terra in agro Veliterno ingenti hiatu subsedit. Tum data pace Carthaginiensibus, secundum bellum Punicum finitum est. M. Claudio Marcello, L. Valerio Flacco, Coss. Romæ columna ante Iouis ædem, vi turbinis decussa, cum aureo signo. Quo viso, ex aruspicum responso, omnes magistratus se primo quoq; die autoritate abdicarunt. P. Africano, & Lælio, Coss. Stella per xxxij. dies cõtinenter arsit, mox Carthago ab Aemiliano Scipione diruitur. P. Africano, Cn. Fuluio, Coss. Anagniæ, seruo tunica arsit, & igne extincto, nullum flammæ apparuit vestigium: paulò pòst fugitiuorum bellum in Sicilia ortum, Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio, Coss. Pisauri, fremitus terræ longè auditus, & sine terræmotu, murorum pinnæ deiectæ: haud multò pòst ciuilia bella cœpere. C. Mario, L. Valerio, Coss. in Piceno, paßim domicilia

terræ

terræmotu prostrata: tum fugitiui in Sicilia trucidati. M. Antonio, P. Dolobella, Coss. Stella crinita, quæ à Græcis κομήτης vocatur, orta est, quum ciuile bellum inter Octauium & ipsum M. Antonium exardere cœpit. Sed longè felicius extitit sydus illud, quo magi Hierosolymam deducti quæsitum venerunt Iesum Christū, recens natum. Et anno XXXIII. pòst, quū ipse Christus à Iudæis est morte affectus, terra subitò mota est, petræ scissæ, ac Solis defectio amplius tres horas durauit. Quæ prodigia paucis pòst annis, Iudæorum sequutum est excidium. Circiter annum salutis humanæ DCXIII. cometes per mensem apparuit. Tum Cosdras Persarum rex Hierosolymam diripuit. Anno salutis DCCLXXVIII. Sol defecit, quū Luna triduò antè idē passa esset: & Mercurij stella visa est in medio Sole, velut macula nigra. Per idem tempus, Carolus Magnus ex Hispania victor rediens ad Pyrenæos montes, Vasconum insidijs exceptus, ingentem accepit cladem. Anno salutis M. XII. fax ardens instar turris, cum magno fragore, de cœlo cadere visa est, quum Hierosolymæ à Turcis capta est. Anno M. CIX. mare præter modum creuit: cometes per aliquot dies visus, terra tremuit. Quæ prodigia ita Paschalem secundum pontificem Romanum terruerunt, vt in plures dies supplicatio decreta fuerit. Anno

M. X I I. *circa Angliam, Oceanus nulla cognita causa, mirandum in modum creuit.* Haud *multo pòst insula in Dacorum ditionem redigitur.* Anno M. C X C. *in Angliam, crux circiter meridiem in cœlo apparuit, quum Richardus rex in Saladinum bellum comparabat.* Hæc *fortasse parum multa ex nimis multis, exempli causa, recitata.* ROB. *Imò plura, quàm cupiebam.* POL. *In hoc articulo, quod exciderat, pace tua, subijciam. vt enim prodigiorum obseruatio, ita procuratio ad nos manauit: quippe veteres perinde ac nos facimus, quum in aliqua calamitate vel metu sumus, multis precibus, sacrificijs, donis, votis, mala quæ auspicia, monstra, prodigia, portenta, significare credebãtur, auertenda curabant.* ROB. *Audiui non sine voluptate atq; stomacho: vt enim à principio vix risum, sic postremò vix lacrymas continui.* Quis *non rideret amentiam, insulsitatem, & imperspicientiam veterũ, vt vnus terræmotus, vnum fulmen, vnum cœleste signum, rem sequundam: alter terræmotus, alterum fulmen, alterum signum, aduersam, quẽadmodum tu antè demonstrasti, portenderet? id quod fieri non potest, si aruspicibus credimus, qui aiũt suum* Iouem *per hæc signa monere homines, quid faciendum, aut cauendum sit: quum nihil absurdius dici poßit, quàm quicquam certi significari rebus incertis,*

vti

vti sunt iſta tua prodigia nuper expoſita. Sed dices: Si ſiniſtra fuerint, propitia erunt, quando Hetruſci, teſte Plinio lib. 11. in ſexdecim partes cælum diuidebant, quò dira internoſcerēt. Ad ea reſpondeo: Quid portenderit fulmen in medium mare emiſſum? quid terræmotus in ſolitudine factus, vbi nemo eſt, qui talia prodigia notet? Quod ergo naturæ vi vno vel altero tempore, nulla cōſtantia efficitur, non poteſt modis omnibus conſequentium rerum ſignificationē facere. Atq; ita prodigia vlla eſſe nego, quæ ex altera parte collocata, ne minimi quidem momenti, vt vides, inſtar habent. Sic intelligis tua prodigia nihil certi apportare, niſi illis, qui aut fulmine exanimantur, aut ruina per terræmotus edita obruuntur. Dolenter autem accepi, priſcos intelligentiæ veri Dei expertes, potuiſſe eiuſmodi delyramēta obſeruādorum prodigiorum impertiri etiam noſtris. Quæ malum eſt iſta Chriſtianorum hominum impudētia, nō tam in ea re hallucinari, quàm peccare? Quare tu non vtiq; iniuria, quum primùm in tua Anglica hiſtoria, tibi de prodigijs commemorandum eſſet, inuidiæ deprecādæ cauſa, ſicut mihi aliàs dixiſti, vulgi conſuetudinē excuſaſti, vt ne eorū facta mentio tibi vitio daretur. Sed iam cauſas eiuſmodi cæleſtium motuū perſequamur. Haud ambigi videmus quatuor eſſe elemēta: duo ſuprema, ignem

& aërem: totidem infima, aquam, & in eius medio spatio, terram. Item tres cœli regiones, vnam summam, quæ vim caloris ab ignis vicinitate cõcipit: alteram infimam, quæ reflexos à terra Solis radios continet: tertiam mediam, ad quam omnis vis caloris à supera parte emissi, ac radiorum Solis ab infima retortorũ pertinet. Et quoniam teste Plinio, sydera terreno cõtinenter pascuntur humore, hinc primùm causa existit flammarum cœlestium: quippe terra, autore Aristotele, lib. Meteororum I. à Sole calefacta, duplicem emittit halitum: alterum vocamus exhalationem calidam et siccam, alterum verò vaporem calidum & humidum: & vt illa, velut leuior sursum versum petit, ita iste vti grauior deorsum versum subsidet, qui mediæ frigidæ regionis cõtactu densatus, in pluuiam soluitur. Igitur exhalatio, vbi ad supremã peruenit regionem, ilico inflãmatur, ex eaq; incendia fiunt, flammæq; in cœlo varias præ se ferẽtes formas inter nubes coruscãt. Vnde sunt illæ tuæ militares hastæ ardentes in cœlo visæ, cœlũ ipsum flagrare, nauiũ species, lux noctu orta, sparsi ignes, faces accensæ, stellæ ignitæ, quum plus humoris quàm opus sit, hauriunt, & cruces rutilãtes. Ex eadem exhalatione oritur cometes, sydus terrificum, quòd tãta eius sit vis, vt commutationes quàm magnas rerũ faciat, ac ita maximè au-

geat

geat mortalibus bilem, vnde bella existunt: ac propterea tu crinitã stellam non ineptè magnarum rerum momẽta, mortesq; regum denũtiare dixisti. Terra item exhalãte, spiritus repentini coorti, si fluxerint, ij venti fient: si se in nubem induerint, eiusq; partem tenuißimam diuidere cœperint, inde tenebræ conduplicabuntur: inter easq; fulgur coruscabit, ac mox cœlum tonitru contremet, grandoq; mista imbri cadet: si ardor nubium cõflictu se emiserit, fulmina erumpent: si nube depressa, deiecti, illhinc sæui existẽt turbines. Fulminum autem idem Aristoteles tria dicit esse genera: vnum, quod adurit: alterum, quod infuscat: tertium, mirabilis naturæ, quale fuit illud, quod tu exposuisti tunicam seruo arsisse, nullo flammæ relicto vestigio. Sed ad maximorũ luminũ multiplices imagines veniamus. Quoties enim nubes dẽsa ad Solis latus extiterit, iamiam aquam emissura, si in ea Sol prius fracto radio, suã informauerit imaginẽ, quod in aëre polito facit, tũ quàm multus apparebit: illud vel Luna faciet. Ac hinc est, quòd duo trés ve Soles, aut totidem Lunæ videantur: quẽadmodũ vtriusq; defectus causa est, quũ Luna intercedit Soli, et terra Lunæ, sic, vt nihil sit, quamobrem defectus eiusmodi syderũ naturalis prodigiosus habeatur. Postremò, vt ne te motus terræ terreat velut inopinatus, accipe causam: venti

enim

enim in venas atq; cauernas terræ abditi, ad exitum contendentes, illud faciunt: quippe in terra tremor idem est, atq; in cælo peruadente vi ventorum, tonitruum. Ex *quo fit, vt, teste* Plinio, *nunquam terræ tremiscant, nisi tranquillo cælo: & per id, mare quoq; sine flatu, cōtumescat, æstuq; inhorrescat.* Et *hoc est, cur obseruatum dixisti* Oceanum *aliquando nulla euidenti causa, creuisse.* I*sta quum germana naturæ ratione ita sint, putas'ne in prodigijs habenda?* Cæter*ùm de lacus* Albani *montis emissione, non possum non ridere futilem* Roman*orum in hac parte, vel crudelitatem, vel curiositatem: qui cùm militum tum patientia & robore, tum* Camilli *ducis virtute, tandem* Veios *cepissent, eam victoriam voluerint* Apollini *acceptam referre: propterea quòd partim dæmonū operatione, partim humana fraude,* Delphic*ū responsum congruerit cū ioco cuiusdam* Veient*is senis argumentantis, tam perdifficile esse* Veios *expugnare, quàm siccare lacum.* Q*uod sanè argumentationis genus vsurpare solemus, quum aliquid factu haudquaquam facillimum innuimus.* Sic Poëta:

Antè leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et *freta destituent nudos in littore pisces,*
Q*uàm nostro illius labatur pectore vultus.*

Sed *tandem aliquando* R*omanos, credo, pænituit*

nituit suæ stultitiæ, quum postmodū viderūt oraculum illud Delphicū cū reliquis euanuisse: quod nunquā accidisset, si eius rei autores humanitatis expertes fuissent. Quippe ea sceleratorū vatum totius orbis longè fallacissimis respōsis opes passim corradentium ara, paulò antè Ciceronis tempora, iamiam Christi Seruatoris appropinquante aduentu, corruit, qui lib. de Diuinatione primo id testatur, inquiens: Defendo vnum hoc, nunquā illud oraculum Delphis tam celebre & clarum fuisset, nisi omnis ætas oraculorum illorum veritatem esset experta. Idem iandiu non facit. Vt igitur nunc minore gloria est, quia minus oraculorū veritas excellit: sic tunc nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisset. Hæc ille. Atq; ita Apollinis memoriam sola veritas euellit, id quod prædixerat Zacharias propheta: Et pseudoprophetas & spiritū immūdum auferā de terra. Iam habes ista signa nulla esse, id est, hastas ignitas, ardorē cæli, cometam, solis & lunæ defectiones, quæ vel in multos annos prædici possunt, vti res nō casu, aut Iouis tui nutu, sed naturæ efficacia accidentes: item fulmina, terræmotus, &c. vt prodigiosa à te antè proposita, quæ naturæ necessitas suo tempore perficit. Nec aliud superest, nisi de tua stella disserere, quæ Persas Magos ad natale Christi solū perduxerat: quæ neq; prodigiosa fuit, quòd

nil

nil prædixerit faciendum: sed quòd iam factum esset, id est, Seruatorem natum testata fuerit. neq; stella extitit. Primùm quia contra naturã aliorũ syderũ, quæ satis quippe constat ab oriente, cuncta in occidentem versus ferri, ab oriente in meridiem cursum tenuit, perinde ac loci situs requirebat, quando Palæstina Christi ortu nobilis, ea parte ad Persidem, vnde magi venerant, spectat. Deinde, quòd æquè interdiu atq; noctu diluxerit, quod per solẽ, cæteris negatum est syderibus. Itẽ quia eius lumẽ modò occultatum, modò est patefactũ: postremò quòd secundum fermè terram percurrerit, quum certũ gurgustium vbi puer Iesus erat, demõstrarit: quod non fecisset, si per superiorẽ cœli regionẽ, ei cursus fuisset. Sed inquies: Ecquid fuit? Tibi diuus Ioannes Chrysostomus respõdeat, mihi enim fortasse nõ crederes, qui in Matthæum, Homilia 6. de ea re ita scribit: Quod enim non vna fuerit hæc stella de pluribus, imò vt ego arbitror, nec stella omnino, sed quædã inuisibilis virtus specie syderis figurata, ab ipso primùm itinere mõstratur. Et ferè eas persequitur, quas tibi modò rationes quambreuissimè potui, explicui. Ad extremũ, quod asseueratione affirmasti, occiso Christo, terræmotũ, petras perfractas, deliquiũ solis, prodigiosa omnia fuisse, nõ est ita: illud potius attẽde, Iacob iam inde ab initio prædixisse istuc

futurum

futurum tempus, quũ post Seruatorẽ natũ, Iudæorum sequeretur excidiũ, inquiens: Non auferetur sceptrũ de Iuda, nec dux de femore eius, donec venerit, qui mittẽdus est, & ipse erit expectatio gentiũ. Igitur Dominus in crucẽ actus, per cœlũ & terrã voluit suã mortẽ testificatã, & vt Chrysostomo placet, ea dedit signa Iudæis incredulis, quibus, sicut apud Ioannem est, respondit: Quum sustuleritis filiũ hominis, tum cognoscetis, quia ego sum. Sic isthæc significatio fuit iustæ Dei iræ, in Iudæos, quò intelligerent venisse tempus, quũ merito meritissimo plecterentur. Ac his contentus rationibus, non te in eiusmodi reb. perspiciendis vltra ponas, rogo: sed si quid habes dicere aliud, animũ tuũ ea expedito cura, quæ vt video, quo magis progrederis, hoc tibi maiorem dat superstitionũ istarũ quærendarum cupiditatem. POL. Ad tertiã ergo disputationis partem aggrediar, ac portenta paucis perstringam. Xerxes Persarũ rex vbi primũ in Europa vestigiũ posuit, Græcis bellũ facturus, accepit equam leporẽ, & mulã mulũ ambiguis genitalibus, in exercitu suo peperisse: & licet essent, qui malũ inde belli exitum cõiectarent, ipse vtrũq; aspernatus ostentum, postremò tamen iacturam fecit. Quum Dion Syracusanus exul in Dionysium iuniorem Siciliæ tyrannum moueret, sues sine auribus, natos ferunt: tũ Dionysius suis

sius suis viribus diffisus, hosti principatu cessit, in exilium concedens. Ita significatum fuisse in hominũ mentibus inhæsit, vt breui tempore ciuium aures ab auditione tyrannidis vacuæ essent. L. Scipione, C. Lælio, Coss. Reate, mula peperit. L. Quintio, Cn. Domitio Aenobarbo, Coss. capra sex hædos vno partu edidit. Arretij, puer vnimanus natus: tum Romani bellum Antiocho Syriæ regi indixerunt. M. Mesala, C. Liuio Coss. in Vmbria, semimas xij. fermè annorũ natus, qui aruspicum iussu, est ilico necatus: quũ Galli alpes transgressi, ac subito metu perculsi, pedem sua quasi sponte retulerunt. Item Q. Fabio Maximo, Q. Fuluio Flacco, Coss. Sinuessæ, infans natus, qui vtrunq; habebat sexum. Nos tales appellamus Hermaphroditos, Græci vel Androgynos. Et alter infans cum elephanti capite, tum Marcellus ad Canusium cum Annibale congressus, in fugã vertitur. P. Sulpitio Galba, Cn. Aurelio Coss. paulò antè initiũ belli inter Romanos, & Philippum Macedoniæ regẽ orti, Frusinonæ, natus est agnus cũ suillo capite. In Lucanis, equus cum quinq; pedibus. Sinuessæ, porcus cum capite humano. L. Cornelio Lentulo, Aulo Iulio Appulo Coss. in Brutijs, pulli gallinacei tres, cũ ternis pedibus nati. C. Bebio Tamphilo, L. Aemilio Paulo, Coss. Reate, tripes mulus natus. haud multo pòst Celtiberi debellantur.

tur. T. Graccho, M. Iuuencio Coss. Priuernæ, puella sine altera manu nata. C. Claudio, M. Perpenna Coss. puer sine ventris exitu natus, quũ Macedonia prouincia Romana à Medis vastatur. L. Scipione, C. Norbano Coss. in Hetruria, materfamilias viuum peperit serpentem: qui in flumen proiectus, auersa natauit aqua, quũ illa nefaria Syllæ proscriptio erupit in miseros ciues. Sub finem diui Augusti principatus, Fausta quædã plebeia Ostiæ, duos mares, totidemq́; fœminas enixa est. Quod portentũ ingens fames sequuta est. Circiter annum salutis humanæ DCVIII. Cosdras Persarũ rex Romani imperij fines violare cœpit, quod malũ puer quadrupes natus prædixisse creditur. In Gallia anno salutis M. XVIII. sus fœta porcellum humana facie enixa. Sequutus est annus pestilens. Ante annum salutis M. CXI. in Anglia pullus gallinaceus quadrupes natus, quum bellum ingens inter Gallos & Henricum primum ardere cœpit. Anno M. CCCCLVI. in Sabinis biceps vitulus natus: in Piceno infans cum sex dentibus ortus. Tũ Turcæ nostra paßim loca capere cœperunt. Et anno M. CCCCXCIII. Romæ gemini nati, simulq́; vno corpore coniuncti, auersis inter se manib. ac facie, qui pauculos vixerunt dies. Et non multo pòst puella virgo filiũ semicanem peperit. Quæ sanè prodigia significarunt

carunt cædes, & flagitia, quæ postea Alexandro sexto Romano pontifice, facta sunt. Sed cũ *iusmodi monstra omnia sint, satis per hæc pauca ostendimus: tu verò iam te acuas ad ea confutanda, si aliquo pacto potueris.* ROB. *Præclarè admones, vt me accingam ad improbãdã quæ haud cuiquã omniũ hominũ probãtur, quibus naturæ vis cognita sit, de cuius mirabili arte in omni rerũ fabrica, paulò antè abundè docuimus.* Si *hanc igitur attẽderis, nihil erit quod ad tuã quæstionem respondeam.* POL. *Operæpretium facies, si breuiter explanaueris, quid ipsa sit natura, & an secundum* Deum: *ea quũ tanta sit, mihi potior esse debeat, quæ, vt fatear, in mea adhuc ignoratione versatur.* ROB. Vereor, *ne non id quærere, ridiculũ sit, vti* Aristoteles *in libro* Physicorum *primo ait, & præsertim in nostræ disputationis fine, quũ hactenus bonã superstitionũ partẽ duce natura, putemus nos exterminasse, funditusq; eradicasse. nã qui rem obiectam nõ videt, quis ei illam ostẽderit? tamen quod magis cupidè, quàm appositè exigis, officiosè faciã.* Natura *à philosophis definitur esse principium motus per se, nõ itẽ per accidens.* Exempli *gratia:* Vniuersa *corpora habent motũ per se, sic ignis sua sponte sursum versum fertur, terra verò deorsum versum: & id non per accidens. nã si alterũ suũ cursum mutaret,*

istud

istud arte, non natura accideret. Sed Cicero libro de Natura Deorum secundo, multo subtilius rem ipsam explicat, ita scribens: Namq; alij naturam esse censent vim quandam sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios. Alij autem vim participẽ rationis, atq; ordinis, tanquam via progredientem, declarantemq́; , quid cuiusq; rei causam efficiat, quid sequatur, cuius solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi poßit imitando. Seminis vim esse tantam, vt id quamuis sit perexiguum, tamen si inciderit in concipientem, comprehendentemq́; naturam, nactumq́; sit naturam, qua ali augeriq́; poßit, ita fingat & efficiat in suo quodq; genere: partim vt tantummodo per stirpes alantur suas, partim vt moueri etiam & sentire, et appetere poßint, & ex sese similia sui gignere, Cicero hactenus. Et Seneca libro de Beneficijs iiij. naturam ita interpretatur: Natura, inquit, hoc mihi præstat. Non intelligis te quum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo, & partibus eius inserta? Et subdit: Ergo nihil agis ingratißimè mortaliũ, qui te negas Deo debere, sed naturæ: quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura. At diuus quoq; Ambrosius, libro quem de Noë & arca scripsit, naturam appellat omnium matrem. Habes naturã,

accipe eius opera, ratione confecta: quanquam intelligo iampridem inueterasse, vt vana mortalium obseruatione, prodigiosa dicerentur, perinde ac tute ipse appellas. Natura enim, teste Aristotele, libro Physicorum secundo, quæ semper ad id quod perfectius est, nititur, nunquam peccat, nisi impedita copia, vel inopia: aut corruptione materiæ, quæ, vt de alijs taceamus, opus est, in animalium procreatione. Ea materia est semen, quòd si multum fuerit, illi innumeri partus, quos memorasti vt prodigiosos, edentur: si parū, vnus, & ille quidē debilis: sin verò corruptū, cadauerosus. Illa ipsa porrò ratione constat etiam monstra quæ vocas gigni: siquidem semē si abundauerit, inde agnata mēbra creabūtur, vt ille puer quadrupes, alter dentatus, ille tripes mulus, ac id genus, de quibus antè mentionē fecisti. At si semē defecerit, aliquod membrorū deerit: sic natā esse scias puellā sine manu, sues sine auribus, quemadmodū modò exposuisti: sin corruptū, tū cōfusum imperfectumq; gignetur corpus, vt illi gemini Alexādro Ro. pōtifice, Romæ mēbris auersis nati: & ille puer tuus, sine vllo vētris foramine: ac alter semiuir. Sed ea crebrius, vt idē Aristoteles lib. de Natura animaliū iiij. tradit, in ijs quorū partus numerosus est, et præcipuè in auiū genere, earūq; potißimè in gallinis, quib. est numerosus partus: non

tus: non modò quod sæpe pariant, verumetiam quòd multos intra se simul conceptus continentes, omni tempore coeant. Ex quo fit, vt si ouorũ vitella ita posita sint, vt nõ distinguantur vlla interiecta membrana, pulli monstrosi nascãtur, quales tu antea natos demõstrasti. Iam ad hermaphroditos veniamus, quorum ortus causam accipe ab Aristotele, qui ibidẽ ita rem explicat: At in ijs quæ pariunt, tum ea ipsa veniunt, tum verò copia partus impedit, alter alterius perfectionẽ, & causam genitalem. Ita gignuntur interdum alia pluribus, quàm iustũ sit, digitis. Eodem modo in cæteris partibus aut excedunt, aut deficiunt: nonnulla etiam duplici genitali, altero maris, altero fœminæ enascũtur, & in hominũ genere, sed maximè in caprarũ, propterea quòd simul genitale habeant & maris, & fœminæ. Cæterùm recentiores Medici aliter de rei eiusmodi causa, etsi nescio, quàm rectè, referunt, qui in mulieris vtriculo septem seminis receptacula esse tradunt. quæ ita diuidunt, vt eorum tria in quibus mares procreentur, ad dexteram partem existant, ac totidem in quibus fœminæ, ad sinistram. inter illa autem, vnum extare in medio, & in eo hermaphroditos siue androgynos formari, quasi natura vtrinque vim suam in id partus effundente. Verùm nostris Medicis de vtriculi receptaculis, non videtur Aristoteles

adstipulari, qui lib. de Natura animaliũ vij. ait, mulierem ad summum filios quinq; parere vno partu, sic vt illud quis commentum suspicari posset. Restat de turpioribus dicere monstris, quæ tantum abest, vt sine stomacho persequi queam, vt si tua venia liceat, ijs omissis, malim ieiunus ad vesperum, de reliqua parte nostri sermonis disserere, quàm in re tã fœda immorari: quæ perinde tuum, certo scio, turbabit animum, ac meum nihil tranquillabit. POL. Oro, perge, quũ obscænitas in rebus, non itẽ in verbis insit. ROB. Imò facinora ista nefariarũ libidinũ & re & verbo turpia sunt: tamẽ si fieri potuerit, honesto modo rem perstringã. nam ne mihi quicquã crimini vertatur, quod de me flagitij narrãte possent minimè malè cogitãtes aliquando imitandi exemplũ capere, Plinius causam semiferorũ partuũ tradet, qui lib. septimo, capite 2. ex Artemidoro autore Græco, refert viros Indorum quosdam cum feris coire, mistosq; & semiferos esse partus. Atq; hoc fuit, cur Romæ memoria nostra, virginẽ ex canis haud dubiè concubitu, filium semicanem peperisse, cur suem fœtam porcum humana facie enixã dixeris. Et quia seruat natura genus, idẽ fit in cæteris brutis, si diuersi generis belluæ inter se coiuerint: ac propterea nuper retulisti agnũ suillo capite insignem natũ, quòd verres iniuerit ouem.

De his

De his satis dictum. Quòd autem mula peperit, miraris? ego verò mirandum duco, quia conceperat: etenim si mula fœta erat, necesse habuit párere. Sed nouitas rei mouet, inquies, admirationemq́; facit, propterea quòd nulla nisi noua ac admirabili re commouetur animus. Ita solis exortus, cursus, occasus, nemo notat, quia quotidie fiunt: at eclipsim vniuersi mirãtur, quia raro accidit. Cur mouet, quum nihil sit factum, quod fieri nõ potuerit? Theophrastus, teste Plinio, autor est, in Cappadocia mulas párere: & Aristoteles in terra Syria, supra Phœnicem, mulas omnes pariter coire ac párere, dicit. Id quod alibi si nonnunquã acciderit, haud video aliquid esse, quamobrem dicas eum partum prodigiosum, cuius autor natura fuerit. Ita probè intelligis, credo, causam gignendorum monstrorum, quã auidè indagabas: atq; nihil in ijs factum, quod fieri non potuisset. Sanè hæc sola ratio, autore Cicerone, de Diuinatione, ex sententia & testimonio interpretum portentorũ valet, contra omnia ostenta, monstra, portenta: Nunquam, quod fieri non potuerit, esse factum: sin potuerit, non esse mirandum. Atq; sic declaratur, nihil habendum esse mõstrũ, seu portentũ, quod fieri posit. Igitur in errore in quem mõstrorũ nouitas, quippe rarò procreantur, te iampridẽ traxerit: nunc tandem naturæ ratione adductus, seu potius victus, ca-

ue amplius maneas, ac per eiuſmodi mõſtra ſuo tempore, & cum cauſa orta, aliquid quod futurum ſit, ſignificari credas. Equidẽ quis eſſet tam mentis expers, qui exiſtimaret Deum vnicũ orbis rectorem, velle ſuos mortales per iſtos, poſt hominum memoriã multo fœdiſsimos obſcœniſsimosq́; partus, rerum futurarum monitos? De lepore ab equa edito, in Xerxis exercitu, nihil eſt quòd argumentemur: non enim inuitus patior, vt illud tam bellum commentum in Græcorum fabulis habeas. Porrò ſic Græci cauillati ſunt in regem, fingentes equam bellicoſiſsimum animal, peperiſſe leporem timidum & fugacẽ: quod ille numeroſo inſtructus exercitu Græciam infeſtarit, ac poſtremò velut lepus imbellis ſeſe in pedes dederit, quemadmodum apud Herodotum, & Trogũ legimus. Huius fabulæ ſimilis eſt altera, quam narraſti de muliere, quæ vt ipſe coniectura auguror, ſomniauit: vti verò tu minus omnino accuratè aſſeris, credidit ſe enixam viuũ ſerpentem. Nam fœminam non mulierẽ peperiſſe ſerpentem haud abhorret à vero: quòd ſi tu animaduertiſſes, dixiſſes fœminam ſerpentẽ peperiſſe, & illud admiratione dignum accidiſſe, vt ſerpens recẽs natus potuerit aduerſo flumine natare: ac ita prodita veritate, fabella refrixiſſet. Habes reſponſionem dignam phyſiologia, hoc eſt, naturæ ratione, quare iam ad ſermonis quotidiani

tidiani clausulam venito. POL. Quoniã me festinatione premis, nulla verborum circuitione vtar, sed rectà ad finẽ disserendi aspirabo, quando, vt verum fatear, me quoq; disceptandi iam fermè tenet satietas: sed tuus disertus sermo vsq; eò delectat, vt nullo tempore excludi, nullo labore defatigari posse mihi videar. Itaq; extremum accipite actum. P. Volumnio, Seruio Sulpitio, Coss. pluit carne, eumq; imbrẽ ingens auiũ multitudo rapuisse fertur: item bos loquuta. Anno qui insequutus est, exules Romani & serui numero amplius quatuor millia, duce Appio Herdonio, homine Sabino, Capitolium occuparunt, vnde non sine ciuium cæde, expulsi. Alexãder Macedo dum Tyrum oppugnabat, riuuli sanguinis follibus flare incipientibus, per ignem fluxere & milite panem in castris frangẽte, guttæ sanguis manarunt. Eo prodigio non mediocriter Alexandrum deterritum, vates Aristandrus cõsolatus est, affirmans id mali quod portenderetur, in obsessos versum iri: propterea quòd cruor intus, non foris esset fusus. Tyriorum excidium paulò pòst sequutũ est. Fabio Max. P. Decio. Coss. terra pluisse fertur, quum vna legio à Gallis Senonibus ad Clusiũ deleta est. Cn. Domitio, L. Annio, Coss. in Piceno, flumen sanguine fluxit. Cn. Seruilio, C. Flaminio, Coss. in Piceno lapidibus pluisse: ac sub idẽ tempus, in Sardinia, duo

ſcuta ſanguine ſudaſſe: & iterum Aricia, lapidibus pluiſſe, nuntiatum eſt: quum ad Cannas haud multo pòſt plaga ingentiſsima à Romanis accepta fuit. P. Cornelio Africano, T. Sempronio Longo, Coſ. in Romano foro, ac in Capitolio, ſanguinis guttæ viſæ: terra pluit. Interannæ, lac fluxit. Inde cum Boijs Galliæ Ciſalpinæ populis, multa vtriuſq; partis cæde pugnatum. Cn. Fuluio Flacco, Appio Claudio Pulchro, Coſ. Reate, pergrande ſaxum volitare viſum eſt, quum Marcellus haud procul Canuſio, ab Annibale in caſtra fugatur. C. Bebio Pamphilo, L. Aemilio Paulo, Coſ. Lanuuij ſimulacrum Iunonis lacrymauit, tum Ligures victi in Romanorum ditionem venerunt. P. Plautio, M. Fuluio, Coſ. Veijs oleo & lacte pluit. Anno ſalutis humanæ circiter LIII. *in Britannia, antè per dies aliquot, Oceanus cruore viſus eſt fluere, quàm Ro. præſidij facta fuerit occiſio ab inſulanis, qui ſubitò rebellarant. Circiter annum ſalutis* DLXX. *è cœlo ſanguis manaſſe dicitur: quum per idem tempus, Longobardi duce Albuino, ſeſe in Italiam effunderunt, vbi amplius* CC. *annis, poſtmodum regnum obtinuerunt. Cæterùm ex coniectu oculorum, habituq; oris, iſta tibi ſtomachum facere coniicio: quare ne tibi moleſtiæ ſim, plura id genus portēta quæ innumerabilia eiuſmodi occurrunt, proponēdi ſtudio libenter ſuperſedebo: mit-*

tamq;

tamq; multa, quæ admirabilitatem magnam facerent. ROB. Certè iam sapis: nam si multus in his explicandis dæmonum potius quàm hominum in nulla memoria auditis somnijs esses, & mihi & eis qui postea legerint (literis enim hos tridui sermones nostros, non dubito quin aliquãdo mandaueris) nauseam moueres. Sanè hactenus bene res se habuit: quippe tu præclarè istã nostram comœdiam absoluisti, cuius, vti scis, in fine fabulæ lætitia peculiaris est: siquidem in isto extremo actu nihil non ridiculum, nihil non fictum, nihil non vanum, & deniq; nihil non efficax ad mouendum risum existit, quando non modò fabulosis inaudita, sed incredibilia improbabilibus intexuisti. Bone Deus, quis vnquam audiuit bouẽ loquentem? aut vidit carnis, terræ, sanguinis, olei, lactis & lapidũ imbrem, vel fluuiũ, seu simulacra lacrymantia, vel scuta cruore sudantia? Nulla nempe in ijs non modò veri effigies, sed ne vmbra quidem, aut imago apparet. At tute hercle, qui bonam Christiani orbis partem peragrasti, dicas quæso, vidisti vspiam tale quid? Taces? gaudeo: plus vtiq; veritas, quã eiusmodi nefaria vanitas, vt video, apud te ponderis habet. Ergo ista omnia quum nunquam facta constẽt, neq; fieri possint, dicemus monstra, ostenta, prodigia, portẽta? Nihil profectò minus, sed mera portentorum interpretum pigmenta:

quorum

quorum sentētia etsi planè ioculatoria est, nihil habendum monstrum, siue portentum, quod fieri poßit: quam nos antea, quia in rem nostrā conueniebat, facile in eos contorsimus, ac nunc penitus infirmabimus, hoc pacto: Ergo quod fieri non potest, si fiat, id portentum erit, cuiusdi sunt quæ nuper exposuisti. Sed si fieri non potuerit, quomodo fiet, nisi illud factum esse confingatur? atq; sic confictio sola est portentorū parens: nāq; omnis augurum, vatumq́; conatus eò pertinet, vti diuinitatis scientes videantur. Ita bos tua loquuta fertur: sed quid locuta sit, nullus autor tradit, propterea quòd nemo verba audiuit: mugitum pro verbo, quispiam insanus vates interpretatus est, qui fortasse fando audiuerit asinā Balaam olim loquutam, quò ita religionē æmularetur. Verùm asina, vt in Numerorum libro est, iussu Dei, verba protulit: bos verò ista, astu hominis loquuta dicitur, quæ more suo mugiuit, quando verba nusquam ponuntur. Alia autem eiusdem generis sunt, id est, nulla, quum fieri posse desperentur, præter illud vltimum, quod narrasti, interdum pluisse lapidibus. nam Plinius libro secundo, cap. 38. id fieri non inficiatur, inquiens: Quin & ideo lapidibus pluere interim, quòd vento sint rapti, & multa similiter. Hæc ille. Ea ratio potest vel ad terræ imbrem valere: nam satis constat, puluerē qui terra minuta

est,

est, vertis in aërem ferri, atq; instar pluuiæ in terram decidere. Sed etiam aliorum mirabilium aliquam rationem redditam volo, vt ne dicar Sisyphium cæpisse laborem, qui hactenus cætera veterum superstitionum argumenta ritè refutauerim, postremò non habeam quæ dicam, de causa opinionis vulgi, quam stultè imbiberat, de eiusmodi imbre monstrifero. Sanè terra parens rerum cùm multa alia, tum aquam pluuiam in primis colorat: si enim rubrica sit, imbrem fluentem reddet rubrum, similem cruoris: si alba, lacteum, similem lactis: si pinguis, vliginosum similem olei. Ac ita decoloratio ex contagione terrena, errorem olim mortalibus nimis credulis attulit, vt crederent per eas rerum similitudines, deorum consilia sibi patefieri. Sudor verò & lacrymæ ex viuis corporibus sunt: sed humor extrinsecus allatus, velut in parietibus videmus, vtrumq; imitari potest. Quanquam id humanæ potius fraudis opus fuit: quod memoria quoque nostra factum scimus. ego enim vidi simulacrũ Deiparæ, eiusmodi lamentatione insigne: quippe quod cuiusdam monachi pecuniam ita corradẽtis artificio, in annos singulos, Martio mense, lacrymabat, palmite vitis à tergo in foramẽ quod ad imaginis oculos pertinebat, inserto: sed dolo cõperto, scelus autori fraudi fuit. POL. Causam certè magna cura inuestigasti, atq; enodatè & di

& diligenter exposuisti, qua adductus, tecum iam consentio. Verùm reliquum est, vt de sortibus aliquid disseramus: quò nihil sit, quod mox in nostro sermone desideretur. ROB. *Aliud ex alio apud te semper incidit: quî fiet, vt tandē aliquando hunc conficiamus sermonem, si nunquam non eodem reuolueris? Credis rem parui momenti fore, vt de sortibus disceptemus? quarum tu originem libro de* Inuentoribus *rerum primo, capite vltimo, si bene recordor, apud* La*tinos extitisse prodidisti: & eas Cicero suo tempore, vt fallacias ad quæstum ac errorem inuentas, penitus explosas affirmat, quod in eis temeritas & casus, non item ratio vlla, aut consiliū valet: ergo non est quod nunc illas ipsas in memoriam nostra disputatione redigamus. Quare noster labor decursu longæ orationis exātlatus, hic iam consistat: nec tu pro tuo iure, tametsi in isto regno tuo es, sumas, vt velis me nouis semper disputationis laqueis, multa percontando, irretitum tenere.* POL. *Hunc extremū actum ne missum facias, oro. nam in eo tantum erit voluptatis atq; vtilitatis, vt facile dicturus sis, me veritatis cupidiorem quàm cōtentionis, pertractationem huiusce rei iniecisse, qui non ignoro quàm multa in sortium vsu peccentur.* ROB. Non *luctabor tecum,* Polydore, *amplius.* Reperio *apud* Platonē, *primum de* Legibus, *deinde apud*

Orig

Origenem super Iesu Naue, homilia 23. duplex esse sortium genus: vnum humanum, alterũ diuinum. Sed de hoc primum. Sors diuina definitur esse Dei iudicij index, antea multa prece & obsecratione eorum qui eam exquirunt, petita. Sic per Mosen Deus mandauit Aaron, vt sortitò hircos legeret, in Leuitico, cap. 16. inquiens: Loquere ad Aaron fratrem tuum. & subiũgit: Suscipiet ab vniuersa multitudine filiorum Israël duos hircos, pro peccato, & vnum arietẽ in holocaustum: quumq; obtulerit vitulũ, & orauerit pro se & pro domo sua, duos hircos stare faciet corã Domino in ostio tabernaculi testimonij, mittẽsq; super vtrunq; sortem, vnam Domino, alteram capro emissario, cuius exierit sors Domino, offerret illum pro peccato, &c. Sic Moses, ducta sorte, diuisit tribui Ruben, & tribui Gad, & dimidiæ tribui Manasse, quam poposcerant trans Iordanẽ, terram. Sic Iesus Naue suo populo ait: Mittam sortem, & proferam in conspectu Domini sortem: si vos tamen prius describẽtes terram, attuleritis descriptionem eius. Et ita post hæc, sortibus misis, hæreditas populo Dei distribuitur, & agitur sors ista, secundum præscriptũ Dei. Ac ita septem tribubus Beniamin, Symeon, Isachar, Zabulon, Aser, Neptalim & Dan, possessio terræ tradita est. Quid, quòd vel aliæ gentes Dei nescientes, in re dubia sortiri consueuerant?

rant? quum enim Ionas propheta fugiens à facie Domini, Tharsum nauigaret, & tempestate subitò orta, nautæ per sortem quærerent, cuius causa tantum impendêret periculi, cogerentq; Ionam rogare Deum suum, vt id indicaret, nutu ipsius Dei, cuius voluntate ea omnia gerebantur, ita accidit, vt sors super Ionam ceciderit. Item in Actis legimus, Apostolos multis precibus egisse apud Deum, vt significaret, quẽ vellet virum in Iudæ locum surrogatum: & emissis sortibus, Matthiam substituisse. Sed quid multa? iam intelligis sortem diuinam esse, & omnibus precibus petendam, vt id quod quærimus per sortem, consequuti Deo acceptũ referamus. Humanum verò sortium genus est, quo vtuntur sortilegi illi, qui omnem rei euentum temerè ac insipiẽter taxillis, tesseris, schedis, in quibus nomina sortem expectantium inscripta sunt, digitorum micatione, surculis imparibus, & mille eiusmodi puerilibus modis, in fortunam & casum conferunt, nihil interim à Deo poscentes, vt res bene cadat. Quæ omnia, vt humane stultitiæ plena, Christianis legibus vetita sunt: quò nõ sint, qui credant, his modis diuinam exquisitum iri voluntatem. Sed violatores legis nunquam desunt, quales sunt etiam nunc, qui quum aliquid sint acturi, ita augurantur. Aperiunt enim subitò codicem Psalmorum, vel Poëtæ cuiuspiam, & quèm

& quem primùm intuentur versum, illum interpretantur: ac prout in eo res læta aut tristis contineatur, ita suum negotium commodè vel perincommodè casurum suspicantur. Ita legimus apud Aelium Spartianum, olim Hadrianum per sortes quæsisse, quo in se animo esset Traianus Imperator: & versus Vergilianos intuitum, in spem potiundi imperij venisse. Fuerunt versus:

Quis procul ille autem, ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaq; menta
Regis Romani, primam qui legibus vrbem
Fundauit, Curibus paruis, & paupere terra
Missus in imperium magnum.

Quanto nempe rectius facerent, si inuocato numine diuino, in prospiciendis rationibus constituendarum regendarumq; rerum suarum inhærerent? Fuit præterea alius apud veteres sortiendi mos, de quo Cicero in Verrem meminit, qui etiam nunc seruatur: & id quidem, quemadmodum multi rentur, haud contrà, quàm lex iubeat, si mens sortientium recta sapiat, id quod modò demonstrauimus. Verbi gratia: Quum aliquis magistratus aut præfectus sit eligendus, inuidiæ vitandæ causa, suffragijs duo trésve renuntiantur: quo facto, res ad sortem vocatur: & quot renuntiati sunt, tot sortes in hydriam coniiciuntur, ac ita cuius nomen exit, is magi-

ſtratum, vel præfecturam habet. Ac demum de quauis re, ſortibus conſultabant. Sic Cæſar teſtatur, quum in fine libri primi de bello Gallico loquitur, de M. Valerio Procillo ab hoſtibus capto, inquiens : Is ſe præſente, de ſe ter ſortibus conſultum dicebat, vtrum igni ſtatim necaretur, an in aliud tempus reſeruaretur, Sortium beneficio ſe eſſe incolumen. Et hæc raptim de ſortilegio. Iam vſq; ad extremum tempus diei colloquuti, hinc intrò diſcedamus : quum triduo in hoc familiari ſermone ritè conſumpto, mihi, vt ſcis, cras meum iter ad Academiam Cantabrigienſem, quæ propè bidui abeſt, conficiendum ſit. Tu verò vale, & quum per negotia licitum fuerit, quæ in præſens multis verbis inter nos contulimus, poteris in poſterum tempus, tua breui ac eleganti ſcriptura, alijs legenda prodere.

FINIS.

CLARISSIMO VIRO, D. Lucæ Gaurico philoſopho, Philippus Melanthon S. D.

IAM olim te propter doctrinam, et arcanarũ rerum ſcientiam, vehementer admiratus ſum. Extat enim carmen quoddam tuum, in quo inſunt vaticina de futuris Europæ motibus: quæ ita comprobauit euentus, vt non ſolum προγνωστικὸν, ſed etiam hiſtoriam harum rerum multo antè ſcripſiſſe videaris. Neq; verò dubium mihi fuit, quin cum tanta doctrina etiam ſummæ humanitas coniuncta eſſet. Nunquam enim à perfecta doctrina diuelluntur cæteræ virtutes, quæ in viro bono requiruntur. Atq; his veriſimile eſt maximè præditos eſſe eos, qui cùm vera vaticinentur, habere quædam diuinitatis commercia, iudicandi ſunt. Sed nunc extat apud me talè ſpecimen humanitatis tuæ, vt ingratiſſimus, ac planè ferreus iudicãdus ſim, niſi, quantum te propter excellentem doctrinam admiror, tantum etiam propter mirificam bonitatem amem. Nam quod ad me de maximis rebus grauiſſimè ſcripſiſti, quodq; literis addidiſti

themata, quorum mihi cognitio pernecessaria est, facile perspexi insignem humanitatē tuam. Vtrunq; autem duco amplissimi muneris loco, & inter ea κειμήλια reponam, quæ mihi sunt charissima. Porrò has literas ad te publicè scripsi, vt vbiq; extet aliqua significatio meæ erga te gratitudinis. Addidi autem eam huic libello, quem non aliam ob causam ad te mitto, nisi quòd arbitrabar tibi homini philosopho, voluptati fore, si quos & in hac natione, non dico eruditos in Philosophia, *sed studiosos philosophiæ existere audieris, quiq; ad veterem ac veram philosophiam colendam totos se conferunt: qui plurimum profecturi videntur, si studijs eorum continget otium ac publica tranquillitas.* Neq; *verò iustius vlli hoc genus scriptorum offertur, quàm tibi, qui cùm* Principem *in vniuersa philosophia locum teneas, hic totus ordo eorum, qui has literas appetunt, te colere, ac omni officij genere studium tibi suum declarare debet.* Ac *si rectè noui autorem huius scripti, & amicitiam tuam maximè expetet, & tibi libenter de toto scripto iudiciū permittet: qui cùm quidem veteri &* Academico *more disputet, & dum asseuerandi arrogantiam vitat, καὶ ἐπέχει, colligat vndiq; quid aut senserint alij, aut ipsi probabile videatur, mira copia & varietate institutam causam ornauit.* Nam *vt gustum operis*

præbeam

præbeam his, quibus non vacat euoluere totum: Locus est apud Plinium, qui mirum in modum exercuit eruditos, cùm ait: In occasura parte cœli non existere cometas. Hæc verba prudentißimè iudicat autor huius disputationis, ex Aristotele sumpta esse, sed non satis dilucidè conuersa. Sunt enim hæc verba in Meteoris Aristotelis, πρὸς δὲ τούτοις ἅπαντες οἱ καθ' ἡμᾶς ὠμμένοι, ἄνευ δύσεως ἠφανίσθησαν. Vbi non hoc sentit Aristoteles, cometas non apparere in occasu, sed sæpe supra Orizontem dißipari, euanescere, atq; extingui. Quod si hoc modo Plinium accipiemus, nihil habet incommodi. Sed pleraq; alia inuenies, si quando ipsam disputationem per otium inspexeris, ex quibus diligentiam autoris, & doctrinæ copiam existimare poteris. Illud autem abs te peto, vt cùm hunc libellum accipies, hoc consilio precipuè tibi mitti statuas, vt tibi ostendamus, nos amicitiæ tuæ, propter excellentem virtutem ac doctrinam tuam, cupidißimos esse. Bene vale.

IOACHIMI CAMERARII NORICA, SIVE de Ostentis, ad Cl. V. Andream Fuxum.

LIB. I.

*

MISERI & infelices homines non pauci inueniuntur, Andrea Fuxe, quos neq; Dei metus, neq; hominum respectus mouet, neq; retinet, quo minus in contemptu & despicientia vtrorumq; vitam degant. Qui ferè tamen, cùm se tales esse testentur, re quidem ipsa alij, alij etiam confeßione orationis, beati sibi præ cæteris videntur: soluti, vt ipsi aiunt, grauißimis vinculis & oneribus, metu ac molestia: quorum illum reiecta opinio Religionis abstulerit, hanc non admittat neglectio hominum. Atq; id quidem ipsum multo est nocentius, ita vt in morbo persuasio valetudinis, cùm non solum non carere malo, qui illius magnitudinem non videat, sed propter ignorationem eam miserrimus iudicandus sit. Quemadmodum enim Hippocrates scribit, cui ægrotanti nihil

nihil doleat, eum animo laborare: ita quibus propria vitia occulta & incognita sunt, aut etiam pro virtutibus ducuntur, non modò cogitatione & sensu falluntur, sed rationis, sententiæ, mẽtis sanitatem amisere. Qua tamẽ, quamuis afflicta remanente, vt dum in corpore anima inest, spes remanere debet: verùm extincta & adempta, cadit etiam hæc, et tãta ruina oppressa euanescit, Quo quid miserius ac calamitosius esse poßit? Ac scriptum quidem apud Menandrum accepimus senarium huius sententiæ,

Non est miser, nisi esse seipsum qui putat.

Quæ, quatenus primo intuitu apparet, minimè vera putãda est. Nam neq; libidinosi, neq; auari, neq; peculatores, neq; multi alij scelesti, miseri essent, quos non statim facinora insectãtur, ac quibus potius interdum diutißimè blandiuntur. Prorsus autem præclarè nobiscum ageretur, si opinio, res per se inanißima miseriam auferre ac depellere posset. Sed res aliter se habet. neq; enim inter scelera ac flagitia consistere fœlicitatem, neq; hoc voluisse intelligi prudentißimum Poëtam, existimandum est: cuius tanta profectò vecordia non fuit, vt insipientiam, quo nihil peius neq; pestilentius est, in flagitijs & audacia tueri vellet. Dictum igitur illud, non hoc quidem docere vult, sed contra aduersitates & casuum tristitiam vtilißimã subiectionem

continet, qui multos in vita ſæpe pertinaciſsimè vrgent: neq; erigere ſeſe & confirmare patiuntur. Sunt enim non pauci, qui fœlicitatem & miſeriam non ſuo merito, ſed fortuna & caſu metiuntur: quod eſt fallaciſsimum. Nam quod ex Solonis carminibus memoratur,

Multi ſunt inopes iuſti, iniuſtiq; opulenti:

Id de alijs ſucceſsibus etiam verum eſt. Nam & multi mali, honores, famam, gloriam conſequuntur, cùm his boni careant. Et boni in tenebris & neglectu, etiam infamia & odio aliorum plurimi verſantur, cùm hæc malos non attingant. Quare non debent ij qui in dementia ſua quietem & ſuauitatem vitæ ponunt, arbitrari, habere patronum veſaniæ ſuæ eximium Poëtam: neq; illa quæ conſueuiſſe in dementia eos ponere dixi, poſſe in ea conſiſtere & permanere: niſi fortaſſe hoc arbitrari debent, quo errent magis, maioreq́; cum damno ſuo. Cùm enim, vt Euripides inquit,

Vniuerſam domum perdere vult Deus,
Cauſas prius, cur perdere videatur, creat.

Inter quas hanc ego, talis opinionis, id eſt, veſaniæ, vecordiæ, furoris, præcipuam duco: de nulla enim plus acceptum vnquam damni, maliq́;, fando legendóve compertum eſt. Hæc regna, vrbes, maximas familias funditus euertit: hæc quaſi excæcatos in exitium intrudit ſtultos

mortal

mortales: cum, quò ferantur, non cernunt antè quidem, quàm eò prolapsi sint, vnde salui & incolumes redire non poßint.

Quòd si horum capitalium errorum veniam alter tamen mereretur, poterat fortasse ignosci contemptioni hominum, & neglectioni societatis naturalis, maximis profectò & atrocißimis sceleribus ferrentur humi, & in terra rabie sua lacerantes fas, iura, leges, non solum illas scriptas & promulgatas, sed insitas & infixas mentibus nostris. Verùm, Deum esse, qui humanis rebus præsit & moderetur, illos negare, ac cœlum facere disputationum & rationum immanitate vacuum, hoc demum auditu horribile, assensuq; nepharium est, hòc tolerari nequit. Non enim iniuriam complectitur nostram, aut aliorum certè hominum tanquam fraternam: sed parentis, & quidem communis omnium, cuius fama, autoritate, nomine violato ac subuerso, quicquid sanctum, honestum, pulchrum est, simul ruat ac destruatur necesse est. Hos igitur contra numinis hostes conuocanda omnium bonorum opera, quæ illis opponatur: non, quo ipsi tam improbè sentire desistant, quod vix sperandum sit, morbo omnem medicinam superante, sed ne cui imperitiori probent, et in fraudem indoctos illiciant.

Et fuere ex veteribus quidem Philosophis

propugnatores illi voluptatum & libidinum, qui deos relinquerent ſanè verbis, re ipſa tollerent. Quos non ideo tantum impietatis arguerim, quòd deos nihil agere, nihil moliri, non animum ad res humanas aduertere dixerint: cùm, ſi cenſerent, nihil rectius ſtatuerent, vnà cum alijs implentes cælum legionibus deorum, ſicut fecerunt. Neq; illis meliores aut ſapientiores Stoicos duxerim, qui aſſerentes diuinam prouidentiam, infinitamq; deorum turbam coërcentes, naturalibus rebus declarare voluerunt diuinitatem. Quid enim eſt hoc aliud? Duo eſſe initia rerum omnium, quòd ageret, & quod pateretur: ac pati quidem materiam, quam deam etiam nominarunt, quæ ſit expers qualitatis: agere in illa mentem, ipſi λόγον vocant, id eſt, Deum. Ac hos, quorum propter nobilitatem mentionem feci potiſsimum, non ideo tantum damnauerim impietaiis, vt aiebam, aut abſoluerim, quòd de dijs ſenſerint vel perversè vel commodiuſculè: quin potius et hos et omnes alios quamuis conſuetudini, vt opinor, remittant diuinitatis aliquid propter illā opinionem anticipationem, vt Cicero πρόληψιν interpretatus eſt, cum Diagora & Theodoro traho, qui nudam, & nullo quaſi inuolucri intecto ſententiam ſuam protulere. Non video, cur minus impius habēdus ſit, qui de Deo falſa, ac qui nullum

prorſus

prorsus esse decernat. Quæ quamuis ita se habeant, vt impios meritò, numinisq; euersores dicere liceat, eos quoq; qui à vera illius cognitione recesserint, siue decepti ipsi lenocinijs cogitationum suarũ, siue seruientes popularibus persuasionibus: tamen in hoc, Deum omnino negare esse, aut humana procurare, longe profectò longeq; plus inest iniuriæ, mali, detrimenti, quo maior tali orationi furor et immanitas subest. Quid enim obstabit turpitudini, atq; ijs malignitatibus quæ legibus neq; solent neq; possunt cohiberi, si nulla nisi humana animaduersio metuatur? Quæ spes erit in rebus dubijs & difficilibus, si non nisi humanam opem sperabimus? Cùm ferè miseros & afflictos deseri à coniunctiss. quoq; videamus: ita fit, vt opinionem diuinitatis conuelli exitiale sit morib. studijs, artibus, rebus bonis omnibus. Nescio enim quo pacto illa etiam aliena à veritate, quod mirabile videri possit, hominum animos ad actionũ honestatem & virtutem excitat, & erigit, quasi à solo in sublime, neq; sinit, vt sic loquar, obrutescere. Quid opus est testimonijs? Docent hoc omnium gentium annales, neq; est cur longius abeamus. Nostra natio nostraq; ætas vtinã non probarent. Quanta cum spe superioribus annis proferebant se studia ac artes? quanta videbatur moribus vitæq; parari cultura? quæ in præ-

sentia,

ſentia, quæq; in poſterum præſidia rebus publicis? Cùm ſubitò ab audacibus & veſanis quibuſdam, quiq; dolerent priſtinos errores ſententiarum ac vitæ ſuæ accuſari, immiſſa ſuperbia ac faſtus contra Deum *contraq; homines, proſtrauit omnia, & in herba, vt dicitur, ſegetem extinxit.* Nunc *igitur virtutis cura nuſquã, nuſquam ſtudiorum cultus, iacent derelictæ artes & literæ.* Morum *ſcelera etiam in laude, inſcitia in honore eſt.* Neq; *facile dictu eſt, quò proceſſerit non longo temporis ſpatio hominum labor, vt eſſent deterrimi, neq; factu iucundum in talibus ſordibus verſare ſtilum.* De *nece autem, & interitu bonarum literarum & ſtudiorum noſtrorum, quid querar? quid clamen? vt dolor ſcilicet meus inimicis lætitiam pariat: quẽ quidem premam, diſsimulare penitus nequeo.* Neminem *profectò ex omni multitudine hominum non pudet nunc moderationis, continentiæ, frugalitatis. Quis non ſeſe, quantus eſt, improbitate occupat?* Manus *iniurijs & violentijs inquinantur.* Oculi *inſidiantur pudicitiæ, bonisq; alienis.* Vultus *fraudem tegit, lingua ſtruit ac tuetur: pectus & cor nocte dieq; conſilia agitãt callida, verſuta, nefaria.* Inter *huiuſmodi vbi poßint eſſe, qui humanitati, quiq; ingenuis diſciplinis operam nauent, qui've potius ad vitæ ſanctimoniam & eruditionem, quàm audaciã*

ac fer

ac feritatem educant liberos suos?

Quare, neq; enim talis vnquam furor durauit diu, non dubiè impendet aliquod non mediocre neq; vsitatum infortunium, cùm pœnam tandem infliget Deus humanæ malitiæ hoc grauiorem, quo lentior fuerit. Ac præsagit id quidē prudentum virorum animus iam dudum. Significatur autem plurimis & diuersorum generum prodigijs, quæ nostra ætas vidit innumerabilia, vt crebritate admiratio penè & insolentia excussa sit. Quid enim memorem obscœnos fœtus? quid terrores ignota de caussa, strepitus sonitusq́; armorum, clamorumq́;, ac ruinarum fragores? Ad cœlestia respiciamus. Vidimus deliquia luminum ingeminari, facies insolitas in aëre & nubibus notauimus, flammeos enses, cruces, hastas. Quibus omnibus quasi coronidem his diebus impositam, stellam ex earum numero, quas Cicero crinitas vocat, vel vt aliqui malunt, cincinnatas, nos quoq; non sine horrore aspeximus. Quæ profectò vltimæ commonitionis, quasi emissa vox clamat, in foribus adesse quod in nos diuinitus mouetur.

Tendebat illa ad æquinoctialem circulum per occidentem, mirabili cursu, cùm quidem primùm à nobis conspecta stetisset infra Helicen, qua ferè parte cauda inchoatur: siue malis temonem, quò emissus splendor porrigebatur. Tum

igitur

igitur in signo Leonis includi notatum est, à quo lapsa, perq; virginem lata, in libræ siue iugi extremis partibus magnoperè deficiens, singulis noctibus euanuit. Non erat illa sanguinea, neq; densa luce, sed igneo quodam & candente pallore. Splendor, quem diximus animaduersum, in Helicen porrigi, abibat ad Orientem, sic vt initiò leuiter, mox magis atq; magis imminutus, ad meridiem se flecteret, deficiensq; planè contra hybernum ortum fuit.

Atq; nuper cùm in hortis apud Mylium essem, non ignotum tibi virum optimum ac doctissimum, vnaq; Hessus noster & Michaelus, ac alij sodalitij nostri, his de reb. inter nos, ita vt fit, varios sermones habuimus: quos ego postea memoria collectos, mandaui literis, & ad te misi, studiosiß. bonarum artium, & propter illarum cultum nostri. Quod, cùm alijs de rebus antè quoq; fecissem, & tibi gratum esse studium diligentiamq; sensissem meam, hoc in præsentia feci accuratius, quo materia, vnde id excuderetur, præclarior videbatur. Nascetur autem expositionis de ipsis adeò sermonib. initium. nam cùm apud Mylium, vt dixi, in hortis, de conspecta stella & terribili longitudine ac palliditate sua capillo mentio habita esset, tū hospes: Quando igitur nunc otiosi sumus, & confabulandi gratia conuenimus, quid prohibet, inquit, ver-

bosius,

bosius, non quidem de vno hoc genere, sed alijs quoq; ostentis quærere. Nihil quidem, vt opinor, inquit Hessus. Si tamen nunc de hoc genere potissimum, & quasi quod instat agamus: quis enim paucis explicet omnia, cùm vna hæc pars satis exercitura videatur, non me sanè,

–Quem Parnaßi deserta per ardua dulcis
Raptat amor.

Sed istum, inquit, Michaelum ostendens, quo nemo est talium quoq; rerum intelligentior: quē, nisi fallor, si excitauerimus, aures nobis sua loquacitate bene complebit. Atq; ita in risum Hessi oratione desinente, Ego, inquit Michaelus, modò per vos liceat, vlciscar dicacem vatem, cùm quidem quomodo poßim, ipse indicarit. Audiet enim quandiu non volet, quia dixit quæ voluit. Tum hospes: Maximè, inquit, licebit. Sed quid Ioachimus? ait. Id scilicet ipsum, inquam. sed mihi in mentem venit, faciendum vt leges prius dicendi ferantur, quàm ad rem accedamus. Quis igitur, inquit Hessus, proponet potius, aut melius quàm hospes, vt nos populus scilicet iubeamus. Velitis igitur iubeatis, inquit Mylius, vt Michaelus incipiat nobis exponere caussas, naturas, effectus talium signorum: sic quidem, vt in primis de hoc genere, quo de propositum est, differat. Post quem Ioachimus aliquid afferet in mediū ex ijs literis, quas solas

vult videri, non quidem nosse, sed cupere & appetere. Pueriles inquam, Myli, & aptas naturæ meæ. Non enim omnibus pennæ datæ sunt, quib. in altum, perq; mare ac terras ferantur. Hæc nihil ad leges, inquit Hessus. Quibus cùm oratio duobus istis solum tribuatur, nobis'ne interdictum erit, si quis quid forsan interrogare velit? Non erit, inquit ille, sed interpellare ius esto. Vtar ego hoc iure, inquit Hessus, sed parcè. Cùm hæc ab alijs quoq; approbarentur, An'ne nos, inquit Michaelus, inuiti lege tenebimur? Quam'ne, inquit ille, tulit hospes, sciuerunt conuiuæ. Optimam & sanctiss. legem, inquit. parebimus ergo, vt pro hoc etiam (me autem intuebatur) respondeam. Quem autem me esse putetis in harum rerum scientia, vos videritis: ego quidem quod poßim, quàm sit exiguum, optimè noui. Tum Hessus, illud igitur auemus audire quod nosti. Audietis ergo, inquit, me tanquam recenter aliquem è Mathematicorū schola progressum, differentem tenuiter & minutè de re proposita. Non quidem expedientem se ex infinitis difficultatibus, sectatione vllorum Philosophorum aliqua certa, tanquam filo, sed per omnium placita & disputata errantem, atque ita tendentem ad exitum nō asseuerationis vlla de re, sed expositionis, vnde quisq; assumat quod maximè arrideat, vel verisimile sit.

Consti

Constituemus autem, ne me profeßionis meæ oblitum putetis, quid esse, de quo loquimur, velimus: quod in omni disputatione omissum, confusionem parit: vt quid ostentum vocemus, planum sit. Id enim placet esse quiddam non naturalis qualitatis, quod in cœlo siue aëre apparens, animos hominum insolita facie commoueat: siue: vt breuius eloquar, cœleste prodigium. Nominatur autem diuersis nominibus, pro similitudine aliquarum rerum quas refert, vt paulò pòst dicemus: si prius de ijs quæ in cœlo visuntur, quædam quasi præfati fuerimus. Nam cùm illud spectabile sit, noctu dieq; pulcherr. ignibus, quorum alij sint luminum, hoc est, solis & lunæ: alij stellarum quinq;, quas errantes vocãt, minime apto nomine, vt Plato ait, & illarum quæ fixæ dicuntur: hæ, quia certa perpetuaq; ratione & via ipsas stare, moueri, meare, remeare, hominum diligentia & industria obseruauit: cumq; earum aspectus cõsuetus, & quasi familiaris sit, vulgò quidem admiratione sui tenent neminem, neq; portendere quicquam putantur, nisi quatenus de ipsarum coloribus & statu, de tempestatibus coniecturas rustici capiunt. At sapientibus illius obseruationis, quam aiebam, certitudo, peperit scientiam, quam Astronomiam nominant. De qua istæ Chaldaicæ prædictiones nascuntur, earum rerum,

quas res syderũ naturæ & vires effecturæ sint. Quas tam certas esse volunt, vt à rebus retrò ad efficientia eas sydera, redire se posse profiteantur, vt non minus quàm si tempus natale indicatum sit, vitæ cursum & fata canere posse glorientur: si vitæ cursus demonstretur, ad natale tempus, relegendo effectiones syderum peruenturos se asserant. Sicut factitasse Taruntium Firmianum traditur, qui ex Romuli rebus gestis, vita, morte, inuenerit illum satum Olympiadis secundæ anno primo, mensis die vigesima tertia, eius quem Aegyptij Chœac vocent, hora circiter tertia, qua quidem totus sol obscuratus fuerit. Natum autem 21. die mensis Thoth, sub ortum solis. Tum Hessus, Ego, inquit, barbara mensium nomina agnosco, & quidem exquisiui aliquando, quæ quib. Latinorum nominibus possent reddi. nam cum illis rationem animaduertebam quodam modo congruere, alienam à Græca. Cupio igitur nunc, si videtur, audire ex te, quos tu istos menses fuisse apud Romanos autumes, vt aut conuenire iudicia nostra secum gaudeam, aut discam, doceam've quod nescimus vel ego vel tu. Faciam, inquit ille, vt iubes. Mihi enim dubium non est, quin mẽsis is quem Thoth diximus, apud Aegyptios esse, autumnalis sit, & quidem princeps, vt ad Septembrem pertineat. Et hinc illi quidem

exor

exordium anni duxere, ſingulis menſib. triginta dies impertientes, vt Herodotus *ſcripſit.* Sic *erit alter quem* Chœac *vocant, hyemalis, & ipſe princeps, adq́;* Decembrem *accedet. Aliquot tamẽ dieb. antè quàm apud nos capietur initiũ, ſi omnia apta & congruentia eſſe placebit.* Plane *mecum facis, inquit* Heſſus. *nam ita* Græcũ *epigramma reddidimus, in quo deſcribitur, quid quibuſq; menſibus* Aegyptiorum *fieri ſoleat, vt illum* Septembrem, *hũc* Decembrem *faceremus.* Sed *ad* Græcam *rationem, quæ diuerſiß. eſt, optarim ſimiliter explicari.* Intelligo *tamen nunc fieri non poſſe, reſeruemus igitur in aliud tempus.* Licebit *enim, inquit ille, de his rebus colloqui, cũ libebit.* Sed *verſus quæſo illos tuos memora, priuſquam ad propoſitum reuertar.* Quod *cùm omnes, vt faceret, oraremus, tum ille infit:*

Primus Thoth *docet in vites immittere falcem,*
Septembrem hunc menſem dicere fortè queas.
Innumero captam prædam fert piſce Phaothi,
Hæc etiam October *munera noſter habet.*
Pleiadũ *graue ſydus,* Athyr *conſurgere mõſtrat,*
Qui dictus Latia *voce* Nouember *erit.*
Viuida frugiferis Chœac *ſata mõſtrat in agris,*
Atq; etiam nobis iſta December *agit.*
Tybi *magiſtratus quos eligit induit oſtro,*
Ancipitem Ianum *lingua latina vocat.*
Multiuagis ſulcãda Mechir *docet æquora nautis,*

Tunc referunt nostri februa ſacra dies.
Induit arma viris Phamenoth horrētia Martis,
Inde etiam Latij nomina Martis habet.
Nunciat herbiferi Pharmuthi tempora veris,
Omnibus Aprili gratia maior ineſt.
Curua falce Pachon flauentia demetit arua,
Hunc nobis Maium dixeris eſſe licet.
Fructilegum tempus prædicit adeſſe Payni:
Qui tibi, ſi dubites, Iunius eſſe poteſt.
Botriſer vuarum dominis eſt gratus Epephi,
Hic quod habet nomen debet Iule tibi.
Viuifici Meſori vada fert vndantia Nili,
Auguſtū hunc menſem tēpora noſtra vocant.

At Michaelus regreſſus in locum diſputatio-
nis, vnde diſceſſerat: Iſti igitur, inquit, ignes,
quia vſitati oculis noſtris, & quaſi ſtati obuer-
ſantur, nulla afficiunt vulgus neq; admiratio-
ne, neq; metu, neq; vllarum rerum triſtium læ-
tarum've expectatione. Præter autem hos alij
interdum emicare, longeq; ſubter ſyderum loca
quaſi ignotas vias agere: neq; ſtellæ eſſe, à ple-
riſq; omnib. naturalium rerum peritis tradun-
tur, ſed quædam in aëre ſpecies et expreſſæ ima-
gines, ſicuti in ſpeculis redduntur, quæ omnia
communiter μετέωρα appellarunt: nominibus
autem certis diſcreuere, pro eo atq; aliquarū re-
rum ſimilitudinem haberent, iubar, hiatū, tra-
bes, dolia, capras, dracones, haſtas, clipeos, co-
lumnas,

lumnas, tubas, lacus, cometas vocitantes. Itaq; *æterna esse naturæ opera, visum illis, lumina solis & lunæ, & reliquas stellas. Quæ verò extra hæc in cœlo visa, ignium nobis obijcerentur, ea & subitò temereq; nata, & quod consequens sit, euanida esse. His inuēti sunt, qui alicubi refragarentur, vt dicetur.* Prius *enim exquiremus in illis nominibus ostentorum: ita enim generaliter poterimus nuncupare, differentiam notatā & traditam.* Duo *autem genera illorum perhibentur: traiectionum vnum, alterum crinitarum.* Traiectiones *à nostris videntur vocari, à* Græcis *διάττοντες dicti, apud* Plinium, *sunt qui discurrentes & volitātes stellas, pro eisdem accipiant.* Hi *ignes diuersis formis, vt trabis, facis, iaculi, draconū, in quamcūq; partem cœli ferūtur, & quasi præteruolant: ac portendunt & ipsi quidem, vt* Ptolemæus *ait, & siccitatē & ventos & bella: sed tantā nō putatur ipsarū præsignificatio vim habere, atq; earum quas crinitas stellas vocant.* Quæ *& stabiliores sunt, et quasi certum sortitæ locū, in septentrionali plaga existunt ferè quidem.* Nam Aristoteles *et in meridionali visas, sæpe prodidit.* Suo *etiam motu certiores facere nos de significatione creduntur, seu celeriter ferantur, siue segniter, siue etiā ita vt videantur stare.* Sed *vt ad illos vagos ignes, id est, traiectiones, quas nominauimus,*

paululum redeamus: non fuerit alienum, referre quid de illorum origine & natura proditũ sit. Quod non sperauerim, quamuis multis ab Aristotele acceptũ, melius interpretaturum, quàm doctiss. virum Pontanũ paucis video fecisse: non quidem illo interpretandi more, quo verbũ verbo quasi annumeratur, quod puerile est, sed sententias aptè & suo arbitratu explicandi. Sic autem enarrans centum Ptolemæi dicta, ait: Generãtur & trabes & faces & iacula, quæq; alia sunt eius generis, hac ratione & via. Terra solis radijs calefacta, cùm vaporum multorum plena sit, eos emittit foraminibus apertis, atq; à calore dilatatis. Quod nostris etiã corporibus accidit, vt calore atq; æstu sudorẽ plurimum mittant. Ipsa terræ exhalatio duplex est: altera humidior, quippe quæ vaporosior est: altera siccior, quòd exusto terræ humore qui exhalat, spiritus fumidus est. Igitur halitus hinc à calore sursum raptus, vbi ad altiores partes perlatus est, assiduus exhalationibus auctus, tandem incenditur, incensusq; emicat, & pro ipsius longitudine latitudineq;, nunc in facis speciẽ, nunc trabis, aliàs iaculi, aliàs etiam draconis ignescit. His expositis, tractationem crinitarũ in manus sumamus. Ac de loco primùm. Quod Ptolæmeus scribit, cometas in cardinibus distare vndecim signis à Sole, hoc est vnius signi interuallo, nõ prorsus conuenit

uenit in nostrum. Loquitur enim Ptolemæus, in illa spatij descriptione, de vno hoc genere, quod in ortu atq; occasu, in ipsis cernitur cardinibus: vbi si propius solem essent cometæ, incurrerent in radios, ac fulgore solis hebetarentur, planeq; latentes simul tum orirentur, tum occiderent. Nihil igitur hæc distantia pertinet ad alios cometas, qui in alijs cœli partibus, non in ipsis ardent cardinibus. Atq; hoc disertè adiecit Trapezontius, meo iudicio, non contemnendus interpres Ptolemæi: ad illam sententiam ne quis existimet leges ferri cometis, nequis longius vno signo discedat à solè, aut ne qui egrediatur extra signiferum. Porrò noster cometa, etsi in occasu vehebatur, tamen non hæsit in ipso cardine, sed procul ad Septentrionem recesserat. Quare propter latitudinem initiò, non occidit tantum, sed etiam mane ante solem exoriri cõspectus est. Ac narrauit mihi hospes quidam meus, vir doctus, se eo tempore in Baltico mari nauigantem, vbi vel clarißimè conspici potuit, mane geminos cometas vidisse. Id arbitrabatur ipse, nec ego sanè repugno, perinde accidisse, vt ex speculo redduntur imagines, ac in opposita nube, non alium cometã, sed huius imaginem fulsisse: sicut παρήλιαι fiunt, ac sæpe videmus iridi respondere ex diuerso ipsius effigiem. Hæc præfatus sum, vt si vel in hoc cometa, vel in quibusdam alijs qui à cardi-

nibus discesserunt, aut extra signiferi semitam euehuntur, alia spatia deprehendantur, sciamus non obstare Ptolemæi sententiã. Sed habet Ptolemæi sententia longam disputationem, quomodo spatia illa metienda sint, quam in præsentia non suscepi explicãdam. Valde autem miror hic Plinium, quid ei venerit in mentem, cur dixerit cometen in occasura parte cœli nunquam esse: cũ Ptolemæus clarè de hoc genere præcipiat, qui in ortu aut occasu conspiciuntur, nisi Plinius hos non putat propriè appellari cometas. Nam communis quidem omnium huius generis ignium appellatio ea est: propriè tamen sic vocantur, supra aut circum quos in comæ modum radij spar guntur, quos hi quasi trahere videantur, cùm, vt Manilius ait,

Globus ardentis sequitur sub imagine barbæ.

Ea de re barbatas nominarunt nostri, πωγωνίας Græci. Sequitur aliud genus, ἀκοντίας Græci, nostri iacula. Itemq; aliud, illi ξιφίας nos enses, & quos δίσκους illi, nos orbes: itemq́; dolia, cornutæ, faces, iubatæ, hirci, ab illis πιθίται, κεϱατίαι, λαμπάδες, ἵππεις, αἶγες cognominantur. Aliqui fecere quatuor tãtum genera ignium, sicut ipsi loquuntur, qui præter naturam existerent, κομήτην, πωγωνίαν, lacunam, columnam. Arabes etiam isti barbaris nominibus discrimina posuerunt, sed ea nos missa faciamus. Planè

inquit

inquit Hessus. obstrepunt enim odiosiss. vbique & in Mathematicis & medicorũ libris, vbi sat fuerit nos tædium illorum deuorare. Nunc lubet quærere mihi, pro concesso iure, quid horũ fuisse proximè visum ignem arbitrere. An'ne hoc, inquit ille, etiam dicere oportet? Siquidem interroganti respondere voles. Quid, si non habeã, quid certi respondeam? At quod in mentem, inquit Hessus, solet venire cogitanti, promes in mediũ. Licet igitur, inquit ille, dubitationes meas audiatis. Cùm enim initio placeret crinitam hanc stellam esse, quomodo propriè dicerentur, quia supra ipsum corpus erecti comæ radij videbantur, & quasi in vertice effundi, refellit me Plinij locus, qui cometen in occasura parte cœli negaret esse. Quod quanquam de propriè vocatis crinitis, vt dixi, accipio, tamẽ ne sic quidem satis explicare possum. Sed relinquamus, neque pudeat nos nescire aliquid. Multo autem magis obstabat, quod quæ propriæ sint, & minus absint longè, & quasi consistant, cũ huius celerrimæ progreßiones essent. Delabebar igitur ad ensem, inde radijs repellebar. Nam profectò non fuit perpetuus ille splendor, neq; in mucronem fastigiatus, sed radiosus & sparsus. Huc autem maximè pallor inuitabat, & ille quasi gladij nitor: sed reiecere, quæ dixi. Reliquorum autem generũ quadrare nullum visum. Quapropter retinui,

barbatam esse. Neq; *eripiat hoc mihi, quod ferè corpus aiunt pogoniæ ante barbam exire: cùm* Aristoteles *simpliciter cometarum formas ita discernat, vt quibus incensus vapor æqualiter circumfundatur, cometas: quibus verò in lõgum extendatur, pogonias vocet.* Etsi *barba etiã profectò secuta est.* Nam *haud dubiè corpus à* Septemtrione *sese incitauit, atq; ita traxit capillamentum.* Sed *nolite arbitrari, asseueratione aliqua hoc à me dictum: in mediũ enim proponere tantum volui, & relinquere vobis examinãdas cogitationes meas.* Tum *ego, cùm bis feceris, inquam,* Pliniani *loci mentionem: quiq; est non solum in studijs, sed in omni vita candor tuus, ingenuè sis confessus ignorationem tuam, non offendêre, vt confido, si eum locum interpretatus fuero.* Imò, *inquit ille, & ego, & sine dubio isti, magnam gratiam habebimus tibi, fac modò.* Id *igitur puto, inquam, voluisse dicere* Pliniũ, *quod* Aristoteles *scripsisset:* Omnes *qui quidem suis temporibus visi essent cometæ, euanuisse absque occasu.* Quod *vniuersaliter* Plinius *posuit ijs quidem verbis, quæ audiuistis.* Hoc *ergo, inquit ille, obstitit mihi, cùm non ignorarem* Aristotelis *locum.* Sed *si hunc* Plinius *ita trastulit, nõ videtur significantiam & perspicuitatem præstitisse.* Quod *nos relinquentes, redeamus ad propositum.*

Hos

Hos ignes, maxima pars ſapientum ſydera negauit eſſe, quorum ferè rationes hæ fuere. Si, inquiunt, ſtellæ eſſent, cũ cernantur manifeſtè interdum moueri, ſub ſignifero debebant incedere: at cometæ ſua propria loca in ſeptentrione habent, & quidem ita vt viam lacteam libẽtiſ. inſiſtant. Præterea ſplendor & magnitudo non manet eadem recedentibus, ſed inter initia maximi videntur: poſtea decreſcit ſtatura, donec extinguãtur. quod alijs ſtellis nõ accidit, quæ recedẽtes augeri lumine videri ſolent. Hoc autem inprimis validũ ducunt, quod per cometas aliæ etiam ſtellæ aliquando comparuerint. Quod argumento eſt, inquiunt, infrà eſſe. ſed & aliæ infra alias ſunt. Verùm nulla tamen per aliam cerni poteſt: neq; tam penetrans noſtrorum oculorum acies eſt, vt per ſtellam tranſeat. Quid, quòd crines ventorum flatu quaſi quatiuntur, & impelluntur in illam partẽ, qua ventus ruit? Non etiam durant diu, ſed ſtatim diſſipantur. Nam quòd ſenis menſibus ſpectandum ſe præbuerit ille Neronis *principatu viſus, diceret harum rationum aſſertor, inter rara & eximia eſſe. Itaq; illi definiunt, nõ aliter cometas quàm reliquos tumultuarios ignes, id eſt, traiectiones gigni in craſſo aëre: eamq́; cauſſam eſſe, cur ſeptentrionem ſibi quaſi peculiarem ſedẽ legerint, vbi plurimum ſit pigræ auræ. Neq; obſtare aiũt,*

non

non subitò illos transcurrere, ac potius ita sæpe segnes esse, vt stare credas. Ignem enim alimenta sequi, atq; ita depascēdo proxima, qua se via aperiat, temerè sequendo ferri. Quare etiam ad Orientem tendere, contra motum cœli, animaduersum, non quidem proficiscentes vt stellas, sed veluti flammæ proxima nutrimenta arripientes, per ea labi, dum consumptis omnibus, intermoriantur. Quam ipsam rationem esse volunt, quòd aliquando diutius appareant, aliquando citò euanescant. Non enim eandem vbiq; suppeditare alimenti copiam, sed esse alicubi hoc rarius, alicubi vberius. Itaq; & qui per occasum ad Orientem abeant tardius, quæ quasi immobiles stent, citius disijci. Iam stellas fixas nō esse, probant: quòd non stent, certo notatæ loco, neque errantes. aliqui enim vel stant vel vidētur stare, vt ferè qui propriè crinitæ dicuntur: neq; vnquam motum habent similem errantium siderum. Etiam omnes stellas rotundas esse, cometis autem circumfundi ignem inæqualiter, & nunc veluti in vertice capillescere, nunc dependere vt barbam, nunc in longū vibrari, nunc quasi conglobari. Hæc sunt fermè, quæ ab ijs afferuntur, quibus placet cometas fortuitò gigni. Quorum alij pronuntiarunt radios quosdam illos efficere, qui à nostro visu refringantur ad solis lumē, quomodo soleant in speculis imagines apparere: his

his non ſunt cometæ res, id eſt, vt Græci aiunt, ὑπόστασις, ſed ſpecies tantū, quæ Græcè ἔμφασις dicitur. Alij voluerunt affici illos congreſſione ſtellarum duarum aut plurium, de qua reſplendeat talis forma, quam ſententiā Anaxagoras & Democritus tenuere: Democritusq; cōtentioſius tuens, non dubitauit affirmare, cometas in ſtellas diſſolui viſos. Ariſtoteles, qui in natura rerum veſtiganda ſtudio & induſtria facile excelluit omnes, tradit, collectos halitus ſiccos ſiue vapores exæſtuantes è terra, ſupra aërem, qua in parte ignem, id eſt, calidum illud & ſiccum collocat, inflammari & ardeſcere. Quo etiā modo illum circulum, quem lacteum dicunt, illuſtrem eſſe cenſet. Heraclides paulò diuerſius perhibuiſſe penè idem videtur, cùm nubem eſſe ſcripſit ſublimen, de ſublimi luce accenſam. Nec diſcrepat multū Epigenis deſcriptio, ventū aſcendentem cum quadam terrena materia, in aëre igneſcere, & cometæ ſpeciem exprimere. Eodēq;, niſi fallor, & Xenophanis placitū referri poteſt, hos motus eſſe, ſtatusq; flagrantiū nubiū. Stoici verò, qui acutiſs. in definitionibus habentur, cometas aiunt, & pogonias, & lampadas, ignes eſſe, qui exiſtant, cùm craſſus aër in ætheriam regionem ſublatus ſit. Ab his ſenſere diuerſum aliqui Pythagorici ſiue Italici Philoſophi, qui cometas non temerè naſci, neq; tumultuariū ignē,

ſed

ſed ex ſtellarũ numero eſſe tradiderunt. Sic quidem, vt non ſemper, ſed ſtatis temporibus & per certa interualla à nobis conſpiciantur. Et quia hæc admodum longa eſſent, non potuiſſe curſum ipſorum planè perſpici, qui, ne aliarum quidem ſtellarũ, quæ ſe perpetuò nobis oſtenderunt, prorſus exploratus ſit. Horũ igitur opinio fert, neq; ſubitò gigni, neque euaneſcere cometas, ſed loca ſua inter ſydera die noctuq; poßidere. Pateſcere autem aſpectui noſtro, cùm ita in ſuo circulo vagentur, vt præ ſolis claritate, & alijs impedimentis quæ interuenire poßint, non eripiantur oculis noſtris. Itaq; & interdiu, cùm aliquando ſolem lumine ſuo linqui accidiſſet, inter illas tenebras cometem viſum. In huius opinionis ſocietatem aſcribitur & Diogenes neſcio quis, inq; ea multi poſtea fuere: & Latinorum, Seneca vult eſſe. Hi ſuperiora conantur refutare, ac ita quidem incipiunt cum illorum autoribus quaſi velitari. Vóſne audetis terminos & limites curſuũ præfinire ſtellis, ne qua niſi ſub ſignifero ingrediatur: & animorum noſtrorum anguſtia diuina coartare? Non eſt aliud hactenus obſeruatum, inquitis. Idéo, ne poterit quidem poſthac? Sed eſto ſanè, non moueantur ſtellæ quæ incedant, niſi ſub ſignifero. At iſtæ quinq;, de quibus conuenit, quot orbes, quàm varios, quàm planè inobſeruabiles cõficiunt? Quod cùm alio modo,

do,tum latitudine maximè explicetis, tale aliquid his ſtellis attribuenti, non debebitis repugnare. Neq; tamen non in aliquo ſigno ponũtur, cùm ſecundum illa ſoleant notari. Poteſt autem tanta eſſe illius globi altitudo, vt modò hac, modò illac cometa ire videatur. Illud verò de auctu ac imminutione luminis, negant ſe ſatis capere quale ſit. Nam neq; in acceſſu, neq; receſſu ſtellas maiores minorésve fieri, quamuis quidem aliquando videantur. Neq; vtrum, quod dicant, cometis ſemper accidat, certum eſſe: quod ſi ſit, cùm tam multa ſint quaſi peculiaria illis, & hoc ſanè eo in numero poni, neq; tantillum ſcilicet ſtellarum ipſis ius, & quaſi ciuitatem adimere debere: quòd verò in primis validum autument, id per ſe eſſe imbecillũ. Quaſi enim iſti Lyncei, inquiunt, per ſtellæ corpus aciem oculorum tranſmittant? At nos concedimus, per ſpatia quæ inter capillamenta ſunt, hoc eſt, diſperſos ignes tranſire viſum, per ipſam ſtellã nullo modo, neq; inuenietur vnquam factum. At concutiuntur crines ventis. Ridiculum. Non enim & cæteræ ſtellæ videntur rutilare & ſcintillare, quaſiq; tremere, cùm non quidem ipſæ quicquam horũ patiantur, ſed ſplendor circumfuſus & acceptus oculis noſtris, & comam, id eſt ſplendorẽ quendam à ſtella exeuntem iactari fatebimur, ipſam ſtellam minimè. Nam quòd non diu durare ferant,

rant, non illas putant in caussa esse, sed nos, qui non eo vsq; transeamus, vbi contueri possemus: durare enim, quãuis aspectui nostro subtractæ sint. Quis etiam scit, inquiunt, vtrum plures longo se tempore, quod magis credere aiunt, an breuiusculo præbuerint spectãdos, sit que magis eximium & rarum septimo die deletum aliquem quàm octoginta durasse? Quare non putandum ita gigni cometas, vt reliquos momentaneos ignes ostentorum: neq; posse intelligi, quod de pastu ignis dicatur. Cùm verisimilius sit, non posse fieri, vt cùm ignis existat subitò, & temerè aliquem locum occupet, proximè carpendo per iter tamen quasi præscriptum meet certa ratione & lege. Quin etiam ad terram deferri oportebat, inquiunt, si alimẽtum sequerentur, cui proximus aër certè densißimus est. Neq; autem stare necesse est, si quæ minus visæ sint moueri, quòd putatur humilioribus illis quæ propriè ferè crinitæ sint sæpius vsu venire, barbatis vix vnquam quæ sint sublimiores. Nam & multo tardius alij alijs moueri possunt, & motus propter exiguam commorationem stellæ non notari. at rotunditatem plurimi nullam habent, vt barbatæ & enses & hastæ: negamus. Neq; enim nos profectò illos crines aut fastigia & prolixitates, stellam dicimus, non magis quàm solis radios ipsum Solem, vel Lunam lunæ cornua.

Multa

Multa enim diuersa facie nobis intuentibus cœlum obijciuntur, quæ nihil minus sunt quàm quod videntur. Multa coniuncta cum alijs, quæ longißimè absunt: splendor igitur ille non est stellæ, sed luminis quod ex illa enitescit. Nam etiam spargi comam tam errantibus quàm inerrantibus, obseruatum est. Sed Aristoteles seipsum vidisse scribit crinitam stellam vnam in canis ilio. Quæ cùm Michaëlus memorasset: Facis, inquit Hessus, quod in aduocationibus assolet, vbi quo plures rogatæ sententiæ fuerint, eo incertior ferè fit, qui rogauit: & tu exponendo diuersa placita philosophorum, dubitationibus nos repleuisti. Imò, inquit ille, restat adhuc inter vtraq; hæc aliud, ambo euertẽs: quod & ipsum, si videtur, ingrediar dicere, etsi non valde Physicum: Cumq; eum omnes, vt faceret, hortaremur: Non placet, inquit, aliquibus, neq; cometas fortuitu accendi, neq; inter æternas stellas numerari. Sed esse nouum opus, quod diuinum numen fabricetur, præuium magnarum cladium, & horribilium casuum, quodq; item diuinitus aboleatur functum munere suo. Neq; tam absurdum hoc videri debet, inquit illorum quispiam, cùm semper sit creditum, diuinitus multa fieri contra naturæ vsitatum modum, quorum nunquam potuere causæ exquiri. Nam non fieri illa miracula prodigiorum contra naturam, vt de

ostentis Aristoteles scripsit, sed secundum naturam, eam tamẽ insuetiorem, & minus ordinariam, quid aliud est dicere, quàm cõtra naturam fieri, hoc est, obseruatã, notam, vsitatã rationem? Vix enim vnquam ingens aliquod malum aut vrbem, aut gentẽ, non præmõstratum oppreßit. Quæ autem demonstrent inaudita, noua, admirabilia esse oportet: qualia non sunt quæ naturaliter, quomodo cõmuniter loquimur, accidũt. Delus ante cladem quam Græci Persæ intulere, mota fertur, cùm neq; prius vnquã, neq; postea mota fuerit: hoc igitur portẽdosum. Pedasensium sacerdoti fœminæ barbam enatam fuisse, Herodotus scribit, quoties ciuitati aduersi aliquid impenderet: quod & ipsum naturaliter accidisse dicemus. Quis autem audiuit stellas numero auctas aut diminutas temerè vnquam fuisse, aut intelligit quomodo naturaliter fieri omnino poßit? Nulla profectò gens nõ credidit diuinitus plurima existere, quæ euẽta & casus singulares præcurrerẽt. Quid autem memorem de Hebræorum sacrosanctis historijs opera, quæ quasi ipsis manibus Deus perfecerit? Apud Plutarchũ quidem legitur, ante bellum ciuile Marianum, cùm prodigia nuntiata essent penè innumerabilia, vates Hetruscos respondisse, adesse mutationem rerũ in peius. Nã descriptas esse diuinitus ætates, quibus idẽ humanarũ rerum status duraret,

quibus

quibus finitis, prædici prius quàm existeret nouationem in deterius ruentium rerum, quæq; in dies minus ac minus numini cordi essent. Et emittũtur igitur cometæ diuinitus, & reuocantur, dum supra nos cõspecti, quãdiu placuit Deo, auferũtur: vbi verò cõspecti, quomodo auferuntur? In aëre, aliquo modo, nescio: quã enim ignoramus multa, ac potius quàm pauca nouimus illarum descriptionũ, quæ de cometis excogitatæ sunt? quota quæq; vera certaq; ratione nititur? refringũtur à nostro visu radij, & illam imaginem repræsentant. Quomodo, quo incurrunt, quid refringit? cur tales imagines redduntur? poßúntne etiam plures? Aristoteles quidem non semel, sed sæpenumero cometas plures apparuisse affirmat. Congreßiones autem stellarum si efficiant, cur non creberr. generentur, nulla causa dici potest, cùm stellæ frequẽtißimè coëant. Nam illa Peripatetica dicuntur, sic vt in vniuersum quidẽ dici aliquid videatur: sed si exquiras particulatim, videas multa inesse inexplicabilia. Quæ enim vaporum vis nõ solum excitabit illam lucem, sed etiã in certa semita ordine constantia fouebit? Iam illi halitus quomodo vel nunc ad astra applicẽtur, vel nũc per se in ignea regione adhærescant, quando docent? At stellas sempiternas esse, vt quæ contrà dici solent alia omittã: nónne hoc facilè refellit, quòd non aufe-

runtur vt reliquæ occasu suo cometæ, sed antequam occidāt, dumq; adhuc in cœlo ea loca tenent, in quibus quicquid est, patet oculis nostris, extinguuntur. Quapropter placet, quicquid in cœlo, terra, mari fiat, non solito neq; vsurpato more, diuinitus pro signo proponi quarundā singularium consequutionum. Non enim incidere fortuitu in id tēpus, quod aliàs singulares consequutiones præcedat, & esse tanquā quæ Græci συμπ]ώματα vocant, credere patitur præsignificationis explorata certitudo & consequentia: cùm illa non modò non semper, sed ne plerunq; quidem accidant. Causas autē non lubet dicere, nō magis profectò quàm in inscriptione ædium, illas venales esse. Sed hæc si amplectamur, illorum omnium ratio & natura ignorata nobis relinquenda erit. Quod facere debere videmur lubentibus animis, cùm tam multa sint quæ nostram scientiam fugiant, quis potuit adhuc ventorum naturam penitus cognoscere? & constat quidē opinor ventos flare. Quis animæ? Solis lumine quid est patentius, quid magis sentitur? At illum nō solum in altißimam cœli quasi arcem Leucippus collocauit, Aegyptios secutus Plato ad vsq; Lunam detrusit: sed nō hoc saltem effugere potuit, ne saxum aut candens massa perhiberetur. Terram ingredimur, colimus, habitamus, eam stare vel Hiceta Syracusius, vel Philolaus

primus

primus dixit: adeò demonstrari scilicet non potest, cur quod firmißimum idem esse corpus voluit, quãuis in eodem loco non circumagi. Hanc *etiam ipsam ferè probãt rotũdam esse, alij tympani figura.* Opinationibus *sunt referta constantq; omnia, neq; quicquã est notum, certum, comprehensum penè dixerim vllarũ rerũ, ne cur nix quidẽ alba sit.* Atq; *hinc quãtus se disputandi campus aperiat, videtis: quare volentẽ istum, quisquis est, vlterius procedere retineamus, ac potius hoc totum amputemus.* Maximè, *inquit* Hessus. *nam metui, ne ille, te interprete, ad* Pyr*roneum stuporem sermone proueheretur.* Nunc *igitur, vt aiebas, præcidens hæc, perge de natura cometarum, effectuq; disserere.* De *natura, inquit ille, equidem arbitrabar actũ hoc esse.* Sed *eligite, vnde effici cometã velitis, vt quid sit, poßim dicere.* Nósne? *imò tu, inquit* Hessus. Egóne? *imò vos, inquit ille. nam ordiens, asseuerationem me vitaturũ testatus sum.* Ingredere *igitur, inquit, per medium, vt hactenus fecisti, hinc illincq; ad veterũ decreta quasi respectãs.* Ergo, *inquit ille, si stellas esse placet, quæ de harum dici solẽt natura, ad cometas etiam licet assumatis: sin illud non placet, in quo maxima est philosophãtium consensio, audietis non quidẽ me, sed* Pontanum: *cuius, vt de traiectionibus, ita & de cometis verba, quia magnopere arridebãt, edidici.* Terra

vt grauißima, ſic etiam infima et media eſt eorum corporum, quæ quod ſint rerum principia, elemēta dicta ſunt. In quam, vt mediam & infimam, cuncta ferātur. Nam & cœleſtium corporum radij in eam rectißimo lapſu deſcēdunt, & quicquid ſuſtinere diutius aër nequit, ſuopte impulſu decidēs, terræ ſeſe inſinuat. Ipſa vaporis & halitus nutricula, Solis radijs calefacta, quos accepit humores, quos etiam aut ſibi inſitos celat, aut extrinſecus acceptos vapores vtero ſuo fouet, aßidua vicißitudine remittit: quos rurſus ab aëre ipſo remiſſos, atq; à Sole ſtellisq; diſcuſſos, moxq; diſſolutos accepit vltro citroq;, nunc illos exorbens, nunc contrà euomens, alternis his vicibus aßiduè vſa. Cuius alternæ vicißitudinis cùm Sol generationis autor potißima cauſa ſit, tamdiu ipſa remittendi accipiendiq; alternatio conſtabit, quàm diu cœlum ac cœleſtium ſex ſtellarum moderator ipſe ac princeps Sol terram circumuehetur. Et quoniam quæ è terra euolāt, in aliquem neceſſe eſt locum euolent: neq; è denſißimis atq; infimis locis, præterquā ad ea quæ minus rara & ſuprapoſita ſunt, euolare queūt, qualis aëris natura & ſitus eſt, qui & terram & aquas ambitu ſuo cōplectitur: nimirum aër ipſe receptaculū eſt omnium quæ è terra aquisq; euaporant, halant, aſpirant, ſurſumq; ſubleuantur. Dicere de ſingulis vaporibus halitibusq;, & quid

quid de quo fiat vapore halituq;,atq; vnde imbres,niues, grandines,& quomodo generentur, loci huius non est.& illa quidem humidis è vaporibus sursum perlatis,paulatimq; coactis,mox solutis fiunt :cõtrà comata sydera è siccis aspirationibus, ad superiores aëris partes raptis. Duæ namq; sunt in aëre ipso regiones,et tanquã cellæ promptuariæ:altera humilior,sublimior altera, pro natura eorum quæ ibi recipiuntur. Et humilior quidem frigidaria, quòd ibi cõueniant quæ mox coacta cõcretáve frigore in pluuias,grandines,aut niues abeũt. Sublimior altera calidaria dici rectè potest,in quam quæ aridioris calidiorísve naturæ sunt perlata,& quòd maximè arida sint,incẽsa,diuersa specie in vnam tamen cõpacta cernuntur.Sed minimè frequẽs,& maximè admirabilis species cometarum est. Namq; vbi aridæ terrestresq; illæ aspirationes, diuturniores atq; maiores fuerint,tunc in calidariam cellam rapti effumantes illi halitus,pauciores primò, ac rariores, mox accedente multitudine densiores facti,pòst magis ac magis cocti ariditate atq; spißitudine sua, & quodãmodo in fuliginem versi,cœlestium corporũ radijs percußi incensiq; inflammantur. Quodq; vniuersa illa materia mométo eodem in corpus illud non cogitur,sed paulatim coalescẽdo,sibiq; inuicem inhærendo, idcirco ex quo cœpit, crescit,alimenta

incendio subministrante halitu, pòst exuperante incendio, deficientibusq; alimẽtis euanescit. Antè tamen quàm euanescit, conglomeratio illa coalescendo, inhærendoq; inferiore à parte, quòd ascensus ab inferioribus fit, quædam quasi coma cernentibus videtur, cùm sit coalitæ, simulq; inhærentis materiæ tractus longior: quod in apibus videmus, quæ ramo arboris suspensæ, dependentesq; vuarum racemi speciem reddunt: & in mulieribus incedentibus, cùm vestes posterius trahunt: quanquam pro materiæ suffumigatæ compactione non vnam semper, sed aliam atq; aliam speciem præferant. Hactenus Pontanus. Quo quidem loco sciendum, quam ille caldariam cellam in aëre appellarit, imum regionis igneæ, & contiguum aëreæ accipiendum.

Sed nos de effectu cometarum nunc deinceps verba faciamus. Quicquid igitur in cælo insolitæ formæ apparet, haud dubiè existimatur portendere aliquem ingentem casum, sed cometæ semper atrocia & tristia: propterea non immeritò diros illos nominauit Maro, & lugubre rubentes. Interq; præcipua prodigia M. Cicero numerauit.

-Claro tremulos ardore cometas.

Sed qui, vt prædicere possent, quid efficere solerent, assecutos se putant longinqui temporis monumenta, memoria repetendo & disponendo

præcip

præcipiunt locum, colorem, durationem obseruare. Locum quidem non solum per se, sed etiam respectu ad Solem. Nam si, vt Ptolemæus ait, Orientales fuerint, effectus celerior: sin Occidentales, tardior erit. In qua verò cæli quasi vncia emicuerint, referre multum arbitrantur, & quorum syderum tanquam dominorum imperio subiacuerint: in quas item partes abierint, quaq́; explicarint crines. De quibus, priusquam singulatim verba faciamus, quid generaliter decretorum cometis attribuatur, quasi præfari libet. Idq́; scire oportet, credentes Ptolemæo optimo harum rerum autori, eiusmodi esse, cuiusmodi asśignetur Marti ac Mercurio: hoc est, totum violentum, sæuum, exitiale, mortiferum, cruentum, incertum, varium, mobile, bella, æstus, procellas, quæq́; soleant hæc consequi. Quod poëta, vel isto dicam teste (demonstrabat autem Hessum) optimus, Pontanus his versibus cecinit:

Tu verò quod decernit Mauortius ignes
Infælix cæli sydus, quod nuntius Arcas,
Hoc dirum in primis statues signare cometem.

Vnde apparet, semper quidem mortes & exitia vitæ, earumq́; rerum quæ vitæ vsibus & necessitati seruiunt, cometas infligere, nunquam tamen non etiam bella seditionesq́; cōcitare: quorum hoc futuri sint grauiores casus, quo plus virium suarum Mars in cometen transtulerit:

qui quidem furorum & turbarum eſt exuſcitator, propter bilem rubram, quam nũc choleram non rectè nominant, qua efferueſcente impetus animorum efferuntur: iiq́; trãſgreßi fines rationis, in ſcelera facinorum erumpunt, rapinas, iniurias, cædes. Ex *hoc aliqui non dubitarũt de* So*lis deliquio, quod altero ab hinc anno accidit, hunc qui prox. apparuit, cometen natum.* Illius *enim moderatores* Martem et Mercurium *fuiſſe. &* Ptolem*æum quidem ita allegant, quaſi doceat hanc obſeruationem, quod apud ipſum non legitur.* Et *ſi rationem haberet, poſſet de cometarum origine prædici: quod nemo vnquã, quamuis peritus diſciplinarum* Mathematicarum, *ſibi ſumpſit.* V*idetur hoc igitur incogitantiuſculè ab illis factum.* C*æterùm decreta* Cometarum *ad res communes ſiue publicas pertinent: neq; priuatas attingunt, niſi cùm de his illæ pendent, vt quòd principibus viris & regibus fatales eſſe putantur.* A*tq; ita redeamus ad locum.* N*otari ſolet ſignum in quo cometa primùm apparuerit, hoc eſt, de quo labi ac volui cœperit: & quidem platicè. nam credendum eſt hominum ſermonibus, & de illis ad aliquam certitudinem perueniendum: quo facto, thema etiam conſtitui ſolet. vt exẽpli gratia:* Ex *plurimorum & concordantibus ſermonibus reperio primùm viſum iſtum prox.* Nonis Sextil. *cum aſcendentibus*

Piſcibus

Piſcibus ſupra HoriZontem, quo tẽpore Leo ſextum locum ſubierat. Pertinuit autẽ hic cometa haud dubiè ad Leonis principium: itaq; propter ſignificationem & ipſi ſextus locus in themate tunc tribuendus erat. Poſtea cum mira celeritate à Leone ad virginem, perq́; virginem ad libram properaſſet, Solem iam ſubſequens longius, aliquandiu in octauo loco cõmoratus eſt, quemadmodum videre omnes potuiſtis: ac tandem in vltimis Libræ partibus conſenuit, ac videri deſijt. Ad prædictiones igitur ſatis eſſe cenſent, ſi conſtet de quo ſigno lapſus ſit cometes, quod profectò poteſt mediocri diligentia explorari. Quamuis non ſine ratione coniecturam de euentis aliqui faciant, conſideratione eorũ quoq; ſignorum per quæ ambulauerint Cometæ. Dubium tamen non eſt, quin primum illud plurimum momenti habeat. In ſingulis autem quid portendant, ita ferè ſolent exponere qui iſtam ſcientiam profitentur, vt in Ariete dicant mala damnaq́; ac ſeditiones minari Orientalibus gentibus, Aſſyrijs potiſsimùm ac Chaldæis: in Tauro, Septentrionalibus & Occidentalibus. in Geminis, impuras inceſtasq́; libidines, inquiunt, extimulant, & religiones labefactant. in Cancro intentant peſtilentiam, & magnas rerum mutationes, iuris oppreſsionem, & principum erga plebem indulgentiam. in Leone infeſtas feras

feras faciunt, & periculum frumento ac fructiferis arboribus creant à vermibus & rubigine. in Virgine regum ac principum ministris & familiaribus malum, carceresq́; & exilia decernunt. in Libra latrocinia & subseßiones viarũ, solicitudinemq́; ac anxietatem mentium suscitant. in Scorpio, violenta consilia, & superba dißidia, proditiones & rebelliones. in Sagittario, studia & eruditionem vastam reddunt: quiq́; illa colunt ac profitentur, ac iurisconsultis scribisq́; potiß. contemptum variasq́; aduersitates instigant. in Capricorno incestam Venerẽ commouent, vulgantq́; in meridianis plagis. in Aquario, tumultus, cædesq́;, ac populationes immittunt. in Piscibus, lites discordiamq́; inter amicos propinquosq́; serunt, & bella indicunt. Ad hæc pertinet, vt diximus, dominantium stellarum naturas exquirere. Quod quidẽ non varium videri queat, cùm, quod cometæ omnes, Ptolemæo autore, Mercurij & Martis commistam naturam referant, hos plurimum virium in illis excitandis habere colligi poßit. Sed de hoc, priusquam orationem meam finiã, nonnihil etiam dicetur. Illud est memorabile, quod idem Ptolemæus scripsit, si in cardine apparuerit cometes, fore vt alicuius regni gubernator, aut qui in illo multum valeat, potensq́; sit, mortẽ oppetat. Si verò in succedente cardini

loco,

loco, bonũ dicã an malũ? portendi regijs thesauris, mutatis quæstoribus. Valde hoc, inquit Mylius, diuersum est: quid igitur dubitatio sibi velit miror. Quia, inquit ille, quamuis scirem bonum, in Grecis libris legi, itaq; reddidisse Pontanum: tamen mirabar, si quid boni cometes afferret: & quod in illa barbara versione legeretur, thesaurorum destructio, non iniuria hæsitaui. Sed vtrum lubet, teneatis. Tum Hessus: Non tam octauus locus me terret, qui neces minatur, quàm quòd Ptolemæus mutationẽ eorũ qui administrant respub. in succedente significari ait: quæ, si accidet in his negotijs quæ gubernat Astreæ sydus, non difficilis coniectura est, quid impendeat. Quidquid est, inquit ille, quod consequetur hos crines horrendi syderis, triste profectò erit. nam quemadmodum, vt Græci aiunt, nemo comatulus est, qui molliculus non sit: ita profectò de sydere liceat loqui,

Οὔτις κομήτης, ὅστις οὐ κακὸν φέρει. *Nunc verò ad Ptolemæũ reuertar, qui ab Oriẽte ad Occidentem si incedant, id est, vt opinor, quasi contra signorum seriem, allicere externum hostem dicit: sin consistãt: intestina bella ciere. Præterea imagines cœlestes, illarumq; partes in quibus cometes fuerit, multũ momenti ad effectuũ exquisitionẽ afferre arbitrantur: itemq; ad perennes stellas conformationem, vt si in terrestri, aërio,*

aquatico

aquatico, humano, bruto, domestico, fero, venenato simulacro fulserit: ac si quam figurã ex ijs quæ in aspectibus notantur, inter se & vnã perennium stellarum designauerit. Sed quia sæpe ita de cometis locuti sumus, quasi causas euentorum faceremus, cùm, siquidem sunt infra illam orbium stellatorum regionẽ, non verè dici caussæ possint: sciri velim, nos communi modo sermone vsos, vt effectum tribueremus cometis, sicuti reliquis stellis soleret: cùm quidem vellemus omnino relinquere in medio controuersiam de natura, & quasi substantia illorum. Et si profectò Ptolemæus haud dubiè sensit, non tã quicquam per se efficere vel hos vel alios ignes, quos vagos, id est, Græca voce διάττοντας nominat, quàm à stellis tanquam causis venturis rebus præmitti allegariq́; quæ illos quasi effingerent, has producerent: easq́; stellas esse Martis & Mercurij, vt retulimus. Ideoq́; secũdas ferre partes decretorum quæ ipse ἀποτελέσματα vocat, in sententijs illis suis ponit. Veluti sunt alia multa, per quæ tanquam vel media, vel indicia, effectiones progrediuntur. Sicut cùm Luna rubet, ventos significat futuros, non efficit: cùm ea vis quæ illam colorat, ventos emittat. si circa Occidentem rubuerint nubes, serenitas diei secuturæ speratur, non quidem quam nubes afferant, sed illa causa quæ nubes tinxit. Inter Arati

prognostica hæc etiam sunt:

Signa tibi quoq; certa dabũt ventorũ, hyemisq;,
Vnda tumens pelagi, sonitusq; in littore rauci,
Rupibus inq; altis, cùm cœlum luce serenũ est,
Et tremefacta iugi nemorosa in vertice sylua.

At hyems & venti non generantur per illa, sed ingruũt. De quo quidem in vniuersum quid nostra opinio ferat, non habeo nunc necesse exponere, vera'ne esse ea quæ de caußis euentorum conantur probare Astrologi: an illarũ, quas caussas ipsi faciunt, aliam priorẽ & efficaciorem constituendam censeam, ita quidem, vt ipsorũ maximæ & potentißimæ causæ nihil nisi signa sint. Nunc quia in eorum quasi ditionibus versarer, cauere volui, ne ab eius regionis, in qua essem, more discrepare videri possem. Sed vt dissertationem de locis cometarum aliquando terminemus, hoc quoq; præcipitur considerandũ, in quos terrarũ tractus coma veluti nutet & inclinetur, quod illò ferè effectuum maxima vis exeat. Solent & de signis regiones notari, quæ vnicuiq; eorum subijciantur: itemq; quod signũ quarum rerum, quorumq; hominũ tanquã cõmendationem acceperint. Nam quorũ quodq; generum erit, ea conuellet atq; comminuet, aut saltem affliget ibidem exortus cometes. Quibus explicatis, quæ restant, non desiderant longam orationem. Nam color aut sanguineus & rutilus,

lus,

lus, aut pallidum splendescere, aut lucidus esse consueuit. Creditur autem ille propter intensas Martis vires bellorum grauiss. casus afferre: hi verò pestilentiam magis, famemq́;, & occulta odia ac insidias struere. Quo in loco etsi finē facere cupio, non tamen possum silentio præterire diuersitates cometarum, notatas de coloribus, & singulis dominantibus stellis ascriptas, de quarū natura significationes illorum expenderentur. Inuenio igitur ab Arabibus traditum, cornutos Mercuriales censeri, quas regum mortes & bella volunt portendere. Martios verò rutilos, longam post se caudam trahentes, bella dißidiaq́; potißimū Assyrijs Arabibusq́; minari. Venereum passo quasi capillo, & sparsulum vt nubem, radijs longißimis protensis, mutationē legum & institutorum & nouarum rerum cupiditatem immittere. hunc aiunt & rarò cerni: sed si quando conspectus sit, duodecim signa peragrare. Cuiusmodi visum, annotatum est Idibus Ianuarij, anno à Christo Seruatore nostro genito, 1470. Sequitur cometes Ioui peculiaris, quem purißimū & claritate summa dicunt esse: quemq́; bonum etiam afferre exortu suo volunt, id est, fertilitatem & fæcunditatem: quod haud scio, an, quia aliquando acciderit, pro certo fuerit acceptum. Nam quomodo à malitia defendamus significata cometarum,

non vid

non video. Quamuis enim fieri poßit, vt conueniens sit antè madefacto solo, æstus siccitatesq; existere, & de illo accidente fruges melius crescant, bonitati tamen hoc cometæ attribuendum non existimo. Saturninus *cæruleo pallore subniger, qualis apparuit anno salutiferi partus 1477. interitus et cædes affert. Atq; hæc, inquiũt, genera sunt eorum quæ pogoniæ vocantur: qui verò propriè cometæ, eorum pulcherrimum diuinam quandam effigiem includentem, solarẽ esse placet, & regum potentumq; opes vitamq; destruere, rerum commutationem efficere, sic tamen vt plerunq; in melius conuertantur.* Aliĩ *non longe à sole recedere vnquam, interq; dincerni tetrum aspectu.* Cui cũ *quæ præficeretur, stellam nullam haberent, absumpto omniũ imperio superioribus, dederunt commissuræ absidum, quam nostri hodie Astrologi caudam* Draconis *vocant,* Græci *dixere* καταβιβάζοντα. Hic *fruges interficere, & sterilitatem inducere creditur terris, regnisq; & opibus orbitatem.* Huic *contrariæ commissuræ, hoc est,* ἀναβιβάζοντι, *siue vt nunc loquuntur,* Draconis *capiti, ascribunt densum, atq; interdum oblongum & teretem cometem: itaq; perticam nominarunt.* Huius *sunt significationes siccitatis & penuriæ: sed pro eo ac fuerit iunctus cum aliqua stellarũ quinq;, atq; cum* Luna, *aliud ac aliud putatur efficere.*

Vltimum genus rarò apparere aiunt, liuido & cineritio colore densum, ex quo nõnunquã infrà supraq́; radij extendantur. Hunc Ioui etiã subiecere, effectionesq́; ascripsere horribiles: inopiã, mortem senum, quiq́; cum dignitate & autoritate sint, graues hyemes, legum regnorumq́; subuersiones. Sed mihi videtur fieri nondum potuisse, vt cometarum certa aliqua ratio constitueretur, quod tamen multis alijs de rebus factum cernimus. Quanquã si verum fateri volumus, sic cõprehensa sunt etiã de quibus minimè ambigimus, vt quæ in somnis agimus, tenemus, tractamus. Cùm autem aliæ opiniones, vbi semel animis hominum receptæ sunt, non facilè amittuntur: tum literatæ istæ pictæ ornatæq́; scientiarum coloribus, & habitu, incredibili studio & ardore propugnantur, quamuis sæpe falsæ. quemadmodum Stesichorum aiunt scripsisse, Helenes simulacrum deceptos Troianos sic adamasse, vt in mortem non dubitarent pro illo ruere, cùm Helenam esse crederent. Tum Hessus: Quã metuo, inquit, quorsum progrediare, ne've ad Cornelianam fatuitatem deuenias. At ille, vt consueuit, clarum ridens: Opt. inquit, factum, quòd grauiter nugantem interpellasti. Sed quid fatuitatis est, quam aiebas? Non, inquit, legisti Agrippinum scriptum, quo artes vult probare nullas esse? Audiui, inquit, de illo, & quidẽ

celebrem

celebrem prædicationẽ, ſed nondũ ſtudui legere. Quid ergo, inquit Heſſus, *nos faciamus, ſi ille admiratores inuenit?* O *ſeculum inſipiens & inuenuſtum. Quis noſtrûm tædio non contabeſcat?* Sed *tu quid ais? videbare enim tale quid innuere, quale ille aſſerere voluiſſet, ſi tamen ſciuit quid voluerit.* Metu, *inquit ille, te liberabo.* Neq; *enim quicquam, quàm aſſeuerationes iſtas dubiarum ſæpe rerũ præcipuas ſuſtuli, ſimilitudine noſtra.* Et, *ſi quæ veriſimilia ſint, retinẽda, tuendaq́; relinquo, quid eſt quod queraris?* Neq; *enim, vt opinor, tutis es, qui veritatẽ & certitudinem tam in promptu, facileq́; inuentu, ac vulgarẽ rem eſſe exiſtimes.* Sed *ad propoſitũ, vt noſtra tandẽ oratio terminetur.* Cui *ſupereſt nõ longa, neq; varia diſputatio de duratione cometarũ, quæ eò pertinet, vt ſi diu cometes ſe cõſpiciendũ præbuerit, vehemẽtiores & quaſi diuturniores effectus moueat: ſin modico tempore, leuiores & breuiores.* Huc *apponunt ſpiſsitudinem aut exilitatẽ illius.* Itaq; *videtis quàm ſoleant nobis iſti* Mathematici *dimenſas quaſi decempeda illorũ magnitudines referre.* Cæterùm *inter ipſos effectus, diſcrimen nõ paruũ obſeruãdum.* Statim *conſequuntur vel adhuc fulgente illo, quæ ab aëre in terras defluunt: vt ſunt æſtuũ peſtilẽtiæ, terræmotuũ mala: nec durant diutius, quàm illa aëris de cometa quaſi inflammatio*

deleatur & resideat. nisi fortè fuit tanta vehementia incensionis, vt flamma etiam extincta tamẽ diu æstuet. vt verbi caussa: si cometæ origo referretur fortè ad aliquã coniunctionẽ magnam Saturni & Iouis, in prima parte Arietis, aut quæ esset delapsa ad igneum trigonũ. Cæterùm alia quæ supernè magis, & in animos hominum demanant, voluntatum inquã, & consiliorũ mutationes. vnde institutorũ, legũ, morum, consuetudinum variatio, vndeq; bella & dissensiones nascuntur. nec statim, simul've cũ luce cometæ, sentiri necesse est: neq; facilè aut citò abeunt, adq; etiã posteritatẽ propagãtur. Neq; auertuntur alia re quàm circũuolutione certa, præstitutaq; astrorũ: nisi fortè illam priusquam cõpleatur, aliqua vis contraria velut interrumpat, & ea quæ diximus, sistat. Omnibus enim rebus per syderum circuitus finẽ propositũ astrologi affirmant: quibus peractis, innouari in terris vniuersa. Quò quidem postquam peruenit oratio, tanquã sortita & ipsa finẽ, decurso spatio acquiescat, cedatq; illã tractationẽ vel alijs, vel alteri tẽpori. neq; enim exquiri simul omnia possunt. Quæ verò nos, morẽ gerentes volũtati vestræ, de cometarũ caussis, natura, effectu disseruimus, sic accipietis, vt cõmunicationẽ cogitationũ mearũ vobiscũ. æquũ enim censui, hominem studiosum aliquam huic considerationi

curam

curam impendere, maximè in re quaſi præſenti. Quòd ſi hæc minus accurata aut exquiſita, minus've perpolita, vel, vt ſemel dicam, inepta videbũtur, vt viſum iri certò ſciò, veniam dabitis nugacitati meæ, in quam induxit me autoritas veſtra, et ſtudiũ obſequendi vobis meũ.

DE OSTENTIS
LIBER II.

*

QVAE CVM *Michaelus dixiſſet, ſilentiumq́; ita vt illo loquente fuerat, permaneret, admirantibus nobis copiam & elegantiam orationis, tũ ille:* Expe*ctatis'ne, inquit, dũ* DIXI, *addã, ſicut in orationũ clauſulis veteres factitarũt, & faciũt ali qui nunc quoq; noui?* Immò, *inquit* Mylius, *te quidem mittimus cũ honorifico teſtimonio iudiciorum noſtrorum, ac noſtro ſtudio* Ioachimũ *ad ſuum opus hortamur.* Hunc *igitur,* Heſſus, *niſi ſponte ſua prodierit, excitemus, inquit, meditantem aliquid excelſum, vt de vultus ſeueritate animaduerti poteſt.* Neq; *verò quicquam ille humile molitur, ac ſemper ardua* Pieridum *peragrat loca.* Tum *ego:* Derides, *inquã,* Heſſe.

neq; enim me fallit, quid excelſitatis dicas: ſed tamen cupio, quæramq; tibi aliquando probare hanc rationem iudicij mei. Mihíne, inquit ille, an quicquam cenſes eſſe probatius? Neq; tu nũc à via quàm ingrediendam vides, huc diuertaris. nam & de his cotidie licebit confabulari, ſi quid erit quo de inter nos parũ conueniat: quod quid eſſe poßit, non video. Ego igitur, inquam, quando hoc mihi munus delegaſtis, tanquam ſecundarum partium histrio eandem quidem, quam noſter paulò antè amicus, id eſt de oſtentis, fabulam agam: ſed diuerſius multo, alioq; quodam geſtu ac facie. Non enim quicquam in me Aſtrologicæ perſonæ agnoſcetis, qualem ferè ille repræſentauit. Quamuis autem ita placuerit & excelluerit, vt certum ſit nihil expectare vos melius, neq; præſtantius: tamen, quod quidem facturos policemini, me quoq; lubentibus animis audietis, illud argumentum retractantem: hocq; magis, quo longius ab illius rationibus diſcedemus, & de eadem re minus eodẽ modo diſſeremus. Quæ enim ille de natura & ſignificatione cometarum & reliquorum quoq; oſtentorũ doctißimè percenſuit, ex intimo ſcilicet penu Aſtronomiæ deprompta, relinquens omnia, ſicut qua prætergredimur, illud vnum apprehendam: Ea quæ contra conſuetum curſum naturæ in cœlo terráve fiant, magnopere rebus

humanis non quidem afferre & immittere, sed prædicere ac portẽdere bona, maláve. Quamuis bonorum paucißima signa sint, quia quicquid vsitata & trita via naturæ exceßit, percellit, conterretq; mentes hominum, in quo certè malum intelligitur. Ideoq; plerũq; mala aduersáq; talibus de signis expectantur, vt cùm quid extiterit, nõ sanè vnius aut definiti generis mala, sed quicquid calamitosum miserumq; putetur, imminere humanæ mentes præsagiant. Neq; me tamen fugit, non rarò de istiusmodi signis in spem fiduciamq; erectas easdem, erigiq; posse, vt hoc discrimen negligendum nõ sit: quæ, quasi exceptione diuina, fausta, quæ contrà infœlicia sint. Nam & arcus cœlestis, nunquã non quodam omnium mortalium gaudio & iucundißimo sensu animi conspicitur. & Cyrus senior apud Xenophontem, moriens, gratias dijs agit, cùm sui tam diligentem curam gesserint, demonstrantes quæ faceret, quæq; vitaret, in sacrificijs, de cœlo, auspicijs, ominibus. Tũ Mylius: Etiámne iris tibi ostentum erit, quæ prorsum naturaliter fieri docetur? Non laboro, inquam. Atque hanc ipsam, vt oratio nostra sibi consentiat, ostentosam, in bonum quidem esse oportet. Eodẽ modo sunt illæ luces geminæ, quæ nautas lætificant, salutares aduentu suo, & prænuntiæ prosperi cursus: in malis autem nauiũ inhærescunt,

etiam nostris temporibus Antiquitas Castori & Polluci consecrauit. Nunc vocāt sanctas animas, & dicūt etiam quorum hominum fuerint: non omnes similiter, vt varia res est superstitio. Ipse noui, qui narraret in flexu Africani Oceani, qua non ita multis annis cursus patefactus est, nauem, in qua veheretur, cùm à promontorio, quod Bonam spem vocant, tempestas orta, longè in altum reiecisset, aliquot diebus vexatam, succursu illarum flammarum omne periculum euasisse. In Christiana etiam dictata diuinitus historia, stellam toti humano generi exortam, ipsam quidem tum primùm visam, notatamq; à sapientibus Arabum, vt arbitror, declarauisse legimus. Fuit & salutare signum retrò actæ vmbræ, quod memoratur in Hebræorū historijs. Sed ex hoc genere, neq; cometarum, & horum similia ostenta esse puto: neq; deliquiorū Solis & Lunæ, neq; ex terrenis obscœnos fœtus, aliaq; quæ vel ibidem, vel in aëre, vel in aquis edita, homines metu, perturbationibusq; replēt. Quæ opinio si non fallit, miror quamobrem Plinius cometen illum salutarem humano generi fuisse scripserit, qui visus sit ludis C. Cæsaris. cū Romana res tum in tyrannidē non dubiè commutata, cœperit ab illo suo altiss. culmine ruere, adq; interitū facere progressus. Similiter quæri possit, cur Seneca cometen visum Neronis principatu

cipatu commendarit, quòd istis stellis infamiam detraxerit. Nā hoc verè post illius quidem mortem scriptum fuisset, cui, si tantummodo portendisset exitiū, salutaris iudicari potuerat: sed Neronem prius Senecam perdidisse constat, quàm periret ipse. Hic tamen assentatus fortè est discipulo suo, cuius non gratiam solum, sed admirationem quoq; aucupatus fertur. Nos autē, vt est dictum, hæc ostenta malorum esse sentimus, per se quidem, & simpliciter: etsi in vnam sanè aliquam partem incumbunt hæc vehementius. Quod cur fiat, non ignoro, caussas ab Aristronomis afferri solere, easq́;, quamuis leuiter attigit paulò antè Michaelus, nos missas faciamus. Hæc autè, ita, vt dixi, se habere quomodo planū faciam, nisi exemplis, non habeo, quæ tamen ad docendum non sunt infirma. Repetendo igitur oratione nostra, ab omni antiquitate historias, docebimus, non tam proprium esse ignis vrere, & aquæ madefacere, quàm sint propria huiuscemodi ostentorum, quæ aiebā. Quis autem vestrum requirit omnino probationem, calidū esse ignem, humectam aquam: aut etiam, cur ita horum vtrumq; sit? Neq; item par est, de illorum proprietate vel dubitare, vel caussas rationesq́; exposcere, cùm se ipsa explicēt obseruatione, constantia, æqualitate sua. Quando enim frustra aut impunè extiterunt, cùm in omnibus ætati-

bus extiterint, nunc plura, nunc pauciora? Sunt autem hæc, sicut diximus, multa ac varia: sed terrena omittamus, ne cælestia quidem in præsentia omnia exequamur, cometarum tantum, & similium specierum cælestium exempla colligentes. Neq; enim non & illa deliquia luminum, colorationes, ambitus, multiplicationes, itemq; arcus, effigies, fremitus nubium, quamuis naturaliter accidere perhibeantur, nō prodigiosa esse iudico. Quod me vetat minus etiam accedere exquisitionibus caussarum, vnde talia existant vbiq;, & quomodo. Ne tamen cū Physicis nobis dimicandum sit, admittamus interim propinquas istas causas, quæ ab ipsis exponuntur. Sed nihilo tamen secius admirationem habebit, manebitq; inexplicatum, quæ nam vis maior profectò his inferioribus caussis, & valentior, ad tales ipsas affectiones illo adeò tempore, loco, momento commouerit, & quia, sicut sæpe est dictum, quamuis explicetur quomodo, vndeq; quid earum rerum quæ à communi notitia & consuetudine demanarunt, efficiatur: tamē propter id ipsum inquam, quòd non tenorem eundē aut modum seruatum cernimus, admirabile est, & mentes nostras in singularem expectationē conijcit. Vt Solē Lunamq; lucere, suosq; illos mirificos cursus & peragrationes conficere, nobis vsitatum est: sicut hominem ex homine, & è pe-
cude

cude pecudem nasci: itemq; esse nubium per nigrum albicãtem colorem. At obscurari lumina, quanquam ostendatur quomodo necessariò fiat, non enim laboro: & fœtum leoninum gigni ex muliere, & humanum è pecude, profectò insuetum nouumq; est, admirationemq;, & quasi fœditatem habet. Ex qua autem hæc caussa velut fingantur & informentur, inquiratur sanè, dũ ne inuenta illa res eleuetur, & pro nihilo pendatur, aggregatione ad reliqua naturalia. Neq; enim is sum, qui ausim refutare propinquas has, vt dixi, caussas, quíve negem studiosè vestigandas. Nam si facerem, ne perspicuas quidem vllis in rebus admittere possem, illas originis & exitij: vnde quò procederetur, intelligitis. Hoc autẽ volo sermone isto accipi, diuinam quandã vim esse vniuersa administrantem, regentem, informantem, efficientem. Quæ, quamdiu nobis noto & consueto ordine progrediuntur, esse placida ac tranquilla omnia: sin quid, vt ita loquar, titubet aut exorbitet, instare casum rerum quempiam pro illius nouitatis natura, in quamcũque partem. Itaq; ne priuatis quidem à rebus hæc prorsum remouere possum, arbitrio meo. neq; nõ statuo, in agro domóve posse etiã gigni & existere, quod patrifamiliâs, & illius rebus futura portendat. Neq; derideo illas in plantis, iumẽtis, intraq; parietes & tecta multarum insolitè acciden

cidentium rerum obseruationem, sed, cum hac semper exceptione, ne quis tribuere me, quãuis modicum quid credat, illis vaticinatoribus superstitiosis, qui vel quæstus caussa prædictiones factitãt, vel præpostera persuasione sciẽtiæ in illas inducũtur, quascunq; tãdem extruant officinas ariolandi, siue vbi vaticinentur animæ, siue vbi de sortibus, & numeris, formisq; omnium elementorũ oracula excudantur. Non *agnosco istos omnes, voloq; nihili fieri & sperni.* Quorũ *etiã in sequentibus fortasse mentionẽ faciemus.* Neq; *me præterit, veteres sapientes, quo, vt ipsi dicebant, pacarent humanas mentes, & omni metu numinis liberarent, quo dum alligarentur, quietæ esse non possent, omnium quæ fieri conspicaremur, rationem reddere euidentem conatos esse: scilicet, ne quid opinionis relinqueretur, diuinitus illa suscitari: atq; ita perculsi metu numinis, in perpetuis essemus horroribus, ne quid nobis calamitatis aut detrimenti à* Deo *incuteretur, pro merita quidem noxia & culpa, qua, quis est mortalium, qui omni & penitus vacet?* Nemo *profectò est, cui non & aduersi plurimum acciderit in vita, & poßit accidere: neq; tali innocentia, quin iure, quicquid eius fuerit, sibi euenisse extimescat.* Hi *igitur fuere in primis* Democritei, *quos* Epicurus *voluit corrigere, qui omni administratione, prouidentia, cura rerum*

huma

humanarum, ac potius vniuersarum, Deum absoluerent. Quod Strato Lampsacenus non paulo accuratius fecit, is qui Theophrasto successit, tertiusq; ab Aristotele Peripateticas scholas princeps habuit. Illi enim, cum asperis suis & insectilibus ac leuibus, hamatisq; corpusculis in derisiones facile incurrerunt. Hic docuit, omnia, vt natura, id est, spõte sua effecta essent: ita etiã illius moderatione ferri ac agitari, neq; vllarũ rerum causas in ea non inueniri. Quas quidem singulatim persequens, subtiliter perscrutatus traditur: sic vt faceret naturalia pondera ac motus, quibus perpensa librataq; constarent vniuersa. Sed vtrum alteri præferamus, non nunc quidem agitur: vterq; enim hoc voluit, contemplatione naturæ, numinis opinionem, cumq; hac respectum & timorem deponi. Quomodo in versibus videmus gloriantem Lucretium,

Humana ante oculos fœdè cùm vita iaceret,
In terris oppressa graui sub relligione,
Quæ caput à cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans:
Primùm Graius homo mortales tollere cõtra
Est oculos ausus, primusq; obsistere contrà.
Quẽ nec fama deũ, neq; fulmina, nec minitãti
Murmure cõpressit cœlum, sed eo magis acrem
Irritat virtute animum. & quæ sequuntur.

sunt enim vobis nota. Verùm has dimittamus:

neq;

neq; enim præstant quod pollicentur. Itaq; *quæ magnopere probauerunt, quàm nullo negotio ab alijs euertantur, videtis, ac sentiamus, nihil esse quòd præter consuetum solitumq; modum in mundo existat, quin aliquẽ item portendat insolitum, singularemq; casum, cùm non de illis primis caußis, quas varias varij pro ingeniorum captu excogitarunt, originem illa trahant: necesse autem est, alium respicientem ad alia, diuersa item de quibuscũq; rebus statuere.* Sed *illa non inde primariam originem trahunt, vnde philosophatores isti voluerunt.* Ac *excitantur potius à quadã vi rectrice & moderatrice vniuersæ naturæ incomprehẽsibili & infinita, quæ se per mundum quacunque ille patet effundens, omnia perficit, tenet, gubernat, mouet.* Fuere *enim semper certorum casuum, illa prænuntia: qui consecuti sunt, nõ profectò quia illa extitissent: sed quia consecuturi erant hi, illa extitere.* Sed *hanc totam disputationem in aliud tempus reseruemus, adq; rem accedamus propositam à nobis: si tamen prius quod in harum rerum contemplatione incidere mihi quidem solet, quasi sustulerimus.* Licet, *inquit* Mylius, *si prius hoc ex te didicero, cur nõ potius remotas quàm propinquas has physicas caussas nuncuparis: cùm profectò nulla propinquior præsentiorq; sit caussa, quàm illa quam numen vis credi, formans efficiensq;*

efficiensq́; rerũ. Vt libet, inquam, Myli. nam mei dicti ratio in promptu est. Videntur enim illæ tanquã materiales caussæ, propiores esse, & notiores. Sed cùm sit intellectum quid senserim, licebit per me alius nominet aliter, vt quisq́; rectiß. se posse rebitur. Nũc ad superiora redeamus. Arbitror à nobis hoc loco quæri, vt à me sæpe factum est, quod fructus habeat, prænosse futura mala, bonáve: quæ vẽtura tamen sint, quæq́; effugere poßit nemo. Præsignificari enim ea volumus, non vt fortuita, & quæ ad incertum finem tendant: sed ita, vt præsignificatio cum euentu colligata, copulataq́;, illum necessariò attrahat: vt frustra speretur consecuturum aliud, quàm quasi promulgatum sit. Quid igitur opportunitatis habet potius quàm incõmodi, nostras mentes aut erigi, aut corripi prædictionibus ac præmonstrationibus euentorũ, vnde monstra, prodigia, portẽta, ostenta, nomen adepta sunt? Quid enim est monstrum, nisi monitio, vel (vt Cicero maluit) monstratio? Ostentum, ostensio. Prodigium certè, etymologici isti, ex Ciceronis sententia prædicium esse volunt. Nos arbitramur (est enim non ignotum vobis hac in parte studium meum) dici non ineptè prodigium, quod diuinitus proagatur futuris & consecuturis rebus: hoc est, ante illas propellatur. Eodem modo portenta, quia quæ porrò sunt quasi intentent, dicta sunt.

Cui autem non est vestrum lectum, quanto ex ijs læta gaudio amplexi, quanta solicitudine tristia soliti fuerint expiare & procurare Romani pariter ac Græci? Quos video vatibus max. bellorum autoribus, & moderatoribus omnium rerum, in quibus discrimen rectè aut secus administratis versaretur, vsos esse. Ipse quidem Alexander, qui magnus à rerum gestarum præstantia dictus est, ad omnia etiam leuißima mometa abhibere interpretes & vates solebat. Sed quid ea res, vt aiebam, vtilitatis complectitur? Apud Romanos, si quid accidisset, nuntiatúmve prodigiorum esset, ad Aruspices veteri more institutoq; referebatur, qui docerent, quid dij præmonstrarent, quídve poscerent: & secundum illorum responsa, sacra aut noua facta, aut reparata sepe legimus. Homerum quidem facere videtis, Calchantis magis nutu quàm Imperatoris res geri, illumq;

Inachiam ad Troiam vatē deducere classem,
Præstātē augurio, magnoq; ab Apolline doctū.

Quid enumerem partim ridiculas, partim sceleratas diuinationes, ad quas in dubijs rebus cōfugit vetustas, incantatorum & ariolorum, quorum cognomina varia sunt, à re singulorū ea, quam vaticinando vsurparent? Quid obseruationes omnium, auspicationesq;? Nam quæ in ædibus animaduersa essent, insolito more accidissent,

disse, eorum coniectationum vnum genus fecerunt οἰκοσκοπικὸν: velut,

Introiit in ædes ater alienus canis.

Anguis per impluuium decidit de tegulis.

Poculum salinúmve in mensa euersum. Tigna gemuere: & quod Cicero ait, politiam Platonis apud se mures corrosisse. Illud verò, quod viarum, & quæ cuiq; occurrissent, significationes explicaret vocarunt ἐνόδιον: nobis, vt opinor, liceat itinerarium dicere. Iam illi creberrimi motus corporis, etiam leuissimi, non caruerunt anxia notatione: cuiusmodi est, quod ille pastor ait, vt noster Hessus conuertit,

Sed salit en oculus dexter mihi, nunquid adibo?

Siue lacertorum musculi trepidauerunt, aut femora, aut subitò prurire pes cœpit, aut auris tinniit. quod Græci nominarunt vibratorium: hoc est enim fortasse παλμικόν. Quid ego vaticinatorum nunc etiam cognomenta persequar, quos Græci in lingua sua apta iungendis duplicandisq; vocibus facilè appellant, à spiritibus, cœlo, terra, aquis, vt ad herbas & cribella descendatur. Multa autem, & miranda de prædictionibus etiam istis sunt tradita, vt scitis: quæ quidem non valde mouent me. scio enim, quàm facilè possint ludificari & præstringi sensus nostri. Vel si qua subest his (vt video credi, neq; sanè non verisimile arbitror) Dæmonum seu

impostura seu efficacia, qualem Socratem iactare videmus apud Platonē, quid mirum imbecillitatem humanam, vt vulgo est, nullis fultam cœlestibus subsidijs, capi ac circumueniri? Plenus est liber Philostrati, non infœlicis nugatoris, de Apollonij mirificis gestis. Ipsum quidem Democritum accepimus, cùm fortè apud Hippocratem lac allatum aspexisset, & capellæ & primiparæ esse dixisse: credo hoc non venit in mentem, qui fabulam cōposuit, vt adderet, cuius coloris. Similiter visam puellam salutasse priore die vt virginē appellaret, postero vt mulierem: fueratq; ea nocte, quæ intercesserat, puella corrupta. Ipse vidi, qui inspecta hominis sani et bene valentis manu, prædixit illum tertium diem non superuicturum. Isq; tertij diei circiter meridiem mortuus est. Sed quorsum hæc? Non enim instituimus referre exēpla talium vanitatum. sic enim existimo: neq; tamen, si velim, plurima & admirāda recēsere nequeam. Cupiunt autem omnes homines naturaliter, cùm se saluos et incolumes, resq; sibi secūdas esse, tum mala aduersaq; abominātur: qua de caussa soliciti de futuris sunt & sperātes & metuentes, & inquietis animis magis præcipientes futura, quàm tranquillè præsentibus fruētes. Quod ipsum præcipuè indoctis vsuuenit, quorū ingenij leuitas, vt procellis mare, ita motibus cogitationum vexatur.

Nihil

Nihil igitur non faciunt, credũt, suscipiunt, quod hoc modo perturbatis obijcitur maximè. Cùm & diuinitus mala bonaq; immitti sibi, & illa vitari, vel saltem mitigari, hæc cõfirmari certò cultus et ceremoniarũ ritu persuasum habeant, est aut reliquarum perturbationum vel præsens certusq; dolor aut lætitia, cũ animi prosperis extolluntur, deijciũntur aduersis. Spes autẽ & metus mirificas solẽt inquietudines & turbas dare, & ingentes fluctus cõcitare, quibus intus forisq; fremãt & resonẽt omnia. Ita fit, vt quamuis homines in acerbiss. casibus spes alat & sustẽtet, quam nulla vnquã dies euacuauit, vt ait Euripides: tamen in ipsa attẽtione & spe, cõtra quam nũquam non metus se infert, haud scio an multo plus mali sit, non dico quàm in successu boni, sed in ipso casu infœlicitatis. Sicut & cruciatus formidinum vehementiores sunt, quàm vllæ præsentes aduersitates. Quapropter gestiunt omnes finem videre, & exitum vel spei suæ, vel metus. Ex hoc diuinationes et ariolationes tantopere vbiq; locorũ & nationũ inualuerũt. Vbi tamen non animaduertit vulgaris inscitia, quæ est demersa in erroribus, ex spe spẽ, & metu metum non tolli, sed augeri & crescere. Cuius enim curas vlla sedare potuit per se prædictio? Aut cuius nõ cogitationes fluxas et incertas reliquit, multo quidẽ magis quàm accepisset? Sed futiles

& friuolas missas faciamus, deq; illis loquamur, quæ veraces & diuinæ sint: sicut ostentorum esse placuit, quibus futura haud dubiè indicetur. Quæ quæso quid prodest præuidisse, cùm habeant ineuitabilem necessitatē fati? quæ quomodo faciamus vt non sit ponēda, non video. Si enim quæ accidunt, fortuita esse volumus, neq; fieri vlla certa ratione ac lege: cōsequens erit, nihil huic rerū vniuersitati præesse, quod eam gubernet, & quasi clauum tenēs in suo cursu dirigat. Quod si verum est, nihil neq; causam, neq; præsignificationem habebit: vt Cicero præclarè scripserit, ne in Deum quidem sibi videri cadere posse, vt sciat quid casu & fortuitu futurum sit. Nihil enim queat afferri, cur quod fortè fortuna ita factum sit, non idem aliter fieri potuerit. Quomodo igitur alicunde efficietur, aut prædicetur futurum? Quid verò dicemus, cur quid factum sit, cùm aliter fieri potuerit, neq; sit factum? Propterea non videtur mihi quidem ineptè colligi, quia quid factum sit, vt perhibeatur ita fieri fuisse necesse: vt quia nunc in his hortis simus, liceatq; ita concludere: Si conuenturi hodie hic fuimus, cōuenire necesse: Et quoniam conuenimus, cōuenturos omnino nos fuisse. Ita nihil admitti poterit factum temerè, aut casu: quanquam cur quid sic, aut aliter factum sit, non habeamus perspectum: quod cùm verum fortasse

fortasse sit alijs in rebus omnibus, in prædictionibus non esse, omnem cogitationem superat. Nam si veræ illæ sunt, fortuitarum rerum nunquam erunt. vt exempli caussa, hoc,

Tellus Libyssa corpus Annibalis teget.

In Bithynia autem ille est mortuus, casu scilicet eò delatus, perfugiũ quærens, cùm prudens Africam vitaret vt exitiosam sibi, non est putãdum. Sed præsciuit oraculum, sortem interitus illius ita casuram, vt in Libyssa Bithyniæ moreretur. Ita fugientem in media fata ruere oportuit. Dicam igitur quod dudum, si nõ esset factum, falso prædictum foret: sed est verè, quia futurum fuit: ergo ita fuit fieri necesse. Sed harum disputationum immẽsum pelagus patet, vnde nos in portum nunc quidem capessamus. Nauigãdum tamen aliquãdo, inquit Hessus. Nam si difficilis cursus erit, hoc maiorẽ gloriam ea res nobis pariet, quo periculi laborisq; plus habuerit. Quantum enim famæ cõciliarint Græcorum ducibus errores & miseriæ, videtis, qui si vsi essent ea nauigationis prosperitate, quã soluẽtibus tranquillitas maris & lasciuientia piscium promittebat, vt fertur, multis nominibus indecantati domi cõsenuissent. Tum Michaelus: Quid noster Hessus, inquit, nisi magnum, præcellẽs, gloriosum cogitare poßit? Cui etiam, siue Deus (sunt enim à Ioue, vt Homerus ait, somnia) siue sua, quæ

cuiq; Deus sit, libido, dormienti tale subijcit,

Da tandem fortuna viam, iuuat ire per altum.

Notum enim vobis huius est somnium. Hic nobis somnium narrat, inquit Hessus. Sed res ita se habet: *Canes, vt ille ait, offulas, ego versus somnio. Verùm disputationem illam tractandam nobis putemus aliquando, nunc hoc agamus.* Tum ego: *Placet igitur, inquam, sic sentire, nihil temerè, sine ratione, lege, cura, autore fieri: & quod consequens est, quæ ita effecta sint, fieri aliter non potuisse, illumq; rectorem & præsidem huius vniuersitatis, & ipsam totam, & singulas partes mente prouidentiaq; & manu adeò complexum agere, prospicere, efficereq;, & quasi fingere omnia.* Neq; *defatigari opere, aut affici tædio, molestiáve: quod ridiculè quidam de* Deo, *tanquam de se ipsis metuentes, illum ita beatum fecerunt, vt his omnibus liberarent.* Vnde *ista extat sententia* Enniana:

Ego Deûm *genus esse semper dixi, & dicam, cælitum.* Sed eos *non curare opinor, quid agat humanum genus.* Veriti, *credo, sunt deos esse negare, cùm sentirent quidem non esse.* Quid enim *est, nullos deos dicere, si hoc non est, socordes otiosos, ignaros, non nostri modò, sed & sui? tessellis credo, aut talis in templis cæli ludentes?* Quàm *stultum autem est, sentire* Deum *aut fatigari, aut alleuari?* Non *igitur isti sensere*

Deum,

Deum, sed re ipsa sustulere numen, quod verbis prohiberet legum pœna. Hanc *ergo quæstionem explicemus, si possumus.* Si *omnia necessitate quadam fatali gerantur, quid nos præsensiones, quid industria, prudentia, consideratio adiuuet?* Subuertit *enim hæc, & frustratur fati fixa lataq; lex, eò euasura cuncta quo ipsum iusserit.* Cur *igitur,*

Multa tulit, fecitq; puer, sudauit & alsit,
Dum studet optatam cursu cötingere metam?

Contigisset enim fatis ducentibus, etiamsi nihil horũ fecisset. Malè *iudicat vulgus* Troianorum, Helenam *malorum caussam esse.* Priamus *igitur senecta ætate sapiens, diuersum pronuntiat:*

Non mihi tu causa es, Di *sunt mihi causa malorum.* Neq; *insaniuit vsq; adeò* Glaucus, *quin sciret aurum preciosius esse ære.*

At rex cœlicolum peruertit pectora Glauci,
Vt iam etiam ipse sciens volensq; permutare cuperet arma
Aurea, quæ bubus bis quinquaginta valebãt,
Cum fusis boue quæ fuerant ex ære noueno.

Quid *igitur prænosse prodest, venturum bonum, malúmve, quorum expectatione & formidine torqueamur? cùm nihilo citius aut melius illud, hoc serius aut mitius experturi simus.* Neq; *enim vel dijs, vt* Herodotus *ait, concessum est, vitare destinatam fato sortem.* At Crœsus, *si*

Halym transijsset, imperium erat ingens destructurus. Transgredi igitur, vt destrueret, fata compulere: id est, non imitanda sors exitij. Quid Laius faceret, cùm oraculum accepisset:

Ne serito liberûm sulcos vi dæmonum,
Nam te satus quondam trucidabit tuus?

Fatale fuit, iugulari à filio. Ergo illum fugientem congressus mulierum, attraxit ad vxoris concubitum ebrietas, vt impleret illam interfectore suo. Fuit igitur Oedipus parricida, antequam nasceretur. Illi verò mori credo volentes Meropidæ, contra patris fideliß. monitus in bellum ruebant: imò certè vincere, cumq; re ac fama domum reuerti:

Verùm in bella Merops genitor Percosius, omnis
Augurij gnarus, non dimittebat. at illi
Spernebant monitus. nam fati sæua trahebant
Imperia, & mortis vis non vitabilis atræ.

Hæc aliqui sic discreuere, vt euentus quidem necessarios facerent, causas verò relinquerent potestati & arbitrio nostro: consiliorum enim nos & actionum dominos esse, de quibus bona maláve necessariò consequantur. Sicut saxum non ferri quidem nequeat in eam partem, quò fuerit coniectum: at eiaculationem & retentionem esse penes eum, in cuius illud manu sit. Itaq; non potuisse quidem, aiunt, non facere Crœsum tantam ruinam, quantam oraculum

praecin

præcinuerat, si cum exercitu Halyn transiisset. sed & transire Halyn, & bellum Cyro inferre, nihil (inquiunt illi) coëgit. Voluntq; idem sensisse Homerum, qui sæpe homines ipsos sibi vesania sua ærumnas accersere perhibeat, non pati inflictas fato. quòd ita apud illum Iupiter loquatur,

Cur stulti incusant mortales numina cœli,
Et sibi nos dicunt autores esse malorum,
Cùm præter fati leges in aperta ferantur
Damna, suæ mentis proprijs erroribus acti.

Atq; huic subscribere Theognidem similis sententiæ versibus,

Res nostræ interitu & fatis agitantur acerbis,
Non tamen à magnis pendet origo Deis:
Sed vis atq; libido hominũ & petulãtia, multos
Expulit, eq́; bonis impulit, inq́; mala.

Quæ si vera essent, nihil sanè requireremus.

Sed non satis probari pleriq; arbitrãtur. Nam aliam profectò esse vlteriorem & consiliorum & actionum caussam, quam humanam mentem & voluntatẽ, qua hæ cõmoueantur & impellãtur ad deliberationes & actiones. Ipsumq́; confirmare, & cõsiliorum proposita præsentibus rebus sæpe contraria, & casus in bello & pace: cùm imminentia fata nullis consilijs, ratione, prudẽtia, auerti potuerint. Quàm vult, quamq́; animo suo constitutum habet, vitare mortem in

Asia Achilles? In hominum igitur potestate si est, quid velint facere, insanisse illum dicamus, vel ebrium fuisse, quod postero die oblitus sermonum consiliiq; sui, non conscenderit nauem,

Tertia quàm patriæ lux Phthiæ sisteret oris.

Quid enim ille concionetur, quæso audite.

Nā mihi mater, ait, niueis Thetis inclyta plātis,
Lethū ferre duplex fatum. nam mœnia circum
Dardana, militiam & bellum exitiale gerenti,
Esse domū & patrios in agros remeare negatū,
Sed famam eximiam nullo me fine manere.
Quòd si cara magis patria attrahat: at mihi nomen
Gloriaq; interijt, sed longa diuq; superstes
Vita datur. nunc interitum vitabo profectò,
Nec citò luce carere volam, pubiq; Pelasgæ
Consulā inutilibus iam tādem absistere pugnis,
Et natale solum patriasq; reuisere sedes.
Nam tegit ipse sua dextra Saturnius vrbem.

Non volens igitur iste māsit, & cupiens consenescere in patria, sagittis est à Paride confixus? An potius volens vidensq; in exitium ruere non dubitauit, animo voluntateq; mutata? Cuius mutationis quid caussæ afferemus? Igitur concludunt, non minus caussas euentorum, quàm ipsa euenta fatalia habenda. Nam cùm sit minimè consentaneum, facturum aliquem vt notum præuisumq; malum consectetur, aut bonum

bonum declinet: cùm in malum, aq́; bono depellere fata volunt, ipsam ante omnia mentem iudiciumq́; perturbant, & erroribus falsisq́; persuasionibus obruunt. Ita vt Tragicus ait,

Cùm numinis subuertere ira aliquem parat,
Primum omnium aufert sanitatem mẽtium,
Prauasq́; pro rectis creat sententias,
Ne quis sua malefacta posit noscere.

Nunquid hæc sententia planiss. refutat propugnatores arbitrationum nostrarum? Sed & Theognis similiter:

Nemo tñ se Cyrne valet subducere fatis, inquit.

Et alibi:

Nemo sibi accersit dãnũ vltro Cyrne, lucrúmve:
Namq; vtraq; à magnis sors venit orta Deis.

Alligantur ergo et consilia & manus nostræ fatalibus quibusdam vinculis. neq; multo certè magis penes nos sunt, quàm euentus ac casus. Nec adiuuat illa duplicium fatorum cõstitutio. Inuenti enim sunt et talis sententiæ autores, qui fata duplicia esse dicerent: vna quasi antiquiora, quibus non mutabili & perpetuo diuinoq; ordine cœlũ circumuolutione sua omnes res intra se moueret, agitaretq́;, quorũ vis esset insuperabilis, vnde existerent non nisi vniuersales quidam euentus, veluti illæ pestilentiæ & famis in totas terras grassationes. Alia autem illis lõgè inferiora & minus robusta, quæ naturalia voca

vocarunt. ea non tam cogere, quàm solicitare, & ad imperium suum quasi precariò cohortari: quæ si valere debeant, morigeratione & obedientia voluntaria opus sit. vt cùm quis ægrotare cœpit, id omnino fata hæc effecere. sed & medicina fugari morbus poterit: & si ratio corporis naturæq; habita esset, & longè prospecto malo itum obuiam, morbus fatumq; illud vitatum omnino fuisset. An non, inquiunt, fieri videmus, vt lapis qui Herculanus *dicitur, ferrum attrahat, sed eam vim allij humor obtundit.* Et *hæc itidem fata posteriora habent non quidem nullam vim, sed non inexpugnabilem ac inuictam.* Itaq; *fieri potest, vt & priuatim & rebus publicis decretos casus infortuniorum aut vitemus, aut mitiores reddamus, ratione & consilio opponendo contraria: siq; quid boni adiudicatum est, præparatione augeamus.* Non *sunt autem omnes præsignificationes illius principis fati. quæ autem sunt, vt eæ de quibus nūc potiss. agimus, vt nō prosint ad illud auertendū penitus, tamen singillatim ad effugiendū conducere putantur.* Nā *& vini ea est natura & vis, quæ inebriet eos qui immodicè hauserint: quam dum vinum remaneat, durare necesse est.* Sed *& singillatim fugere inebriationem licet: & dicuntur aliqua esse quæ potores non patiantur inebriari, vt de amethysto memoratur.* Atq; *ita*

quæ

quæ publicè fata moueant, ea naturaliū fatorū velut priuatim ministerio dispensari volunt. Quæ equidem incogitanter dici existimo. Nam illa quæ vocant superiora fata, necessariò videtur inuoluere inferiora hæc, & quasi rotare gyro suo sicut & valeant, & non valeant, certo loco, tempore, modo. Atq; eas quæ sunt tot in mundo diuersæ naturæ, quarū aliæ alias infringunt, debilitant, corroborant, adiuuant, non sanè ad vires suas eleuandas sed multo magis stabiliendas fata committunt. Ita cùm ipsa efficiāt omnia, administris & quasi instrumentis talibus causis vtuntur. Fuit ergo fatale decumbere, non potuit declinari morbus: liberari illo est, non perimet. neq; ibi vlla ratio cura've proderit, hic quæ sanet medicina non deerit. Hoc modo intelligendum est, moueri fieriq; vi & imperio potentis illius fati omnia:

Neq; saucius vulneribus innumeris prius
Mortem oppetet, finis quàm vitæ aduenerit:
Neq; aßidens patrio aliquis sanus foco,
Ideo imminēs magis fatum effugiet sibi: vt Aeschylus scripsit. Hæc quantopere sint exposita dicacitati & iocis deridere volentium, satis intelligo. Nam illi, opinor, quærent, cùm talem quandam vim diuinam & fatalem esse censeamus, qua vt sæpe est iam dictum, moueantur administrenturq; vniuersa, qua mala bonaq;

prouid

prouideantur & immittantur, deniq; quæ cunctas res curet, moderetur, verset: num etiã papilionibus alas illa pingat, aut rũpat telas araneis. Dicet etiam aliquis, si hæc ita se habeant, immeritò plecti sceleratos tanquam sontes, cùm illi fato constricti adactiq; ad facinora non deliquerint. Peccata enim voluntaria esse debent. Cur igitur supplicijs miserorum fatigantur,

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ?

Neq; enim quisquam satellites tyrannorum cædium reos facit, quos patrarunt illorũ iussu. Ita enim & ensis accusari homicidij poterat, quem vibrarent. At etiã post mortẽ indignè miseros,

Cerberus & furiæ terrent, & lucis egenus
Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus.

His respondere nõ est expeditum, propterea quòd non discendi, sed deridendi caussa hæc exquirũt. At nos illam vim interminatam animorum nostrorum angustia nunquam concipiemus. Neq; rectè fecerimus, si tantillo modulo humani ingenij tantam magnitudinem metiri voluerimus. Non capitur diuina illa granditas, paruitate cogitationum nostrarum. Et quis tamen non videt, vel nihil, vel vniuersitatẽ illi quandam administrationis relinquendum? Nam si parua negligit, aut contemnit, quod absurdum est (nihil est enim tam omnium rerum magnũ, quod alicuius momenti instar in illius oculis habere

habere debeat) aut ne aſpicit quidẽ: quod ipſum etiam abſurdius eſt, fugere quicquam luminis & obtutus diuinitatis. Quare nos has audacias cogitationum noſtrarum compeſcamus, extendentes vltra nidum pennas. nunquam enim in illis explicari hæc ingentia & immenſitas poterit. Deus profectò, Deus, quem ita quomodo licet deſcribimus, granditatis, potentiæ, maieſtatis nominibus, tam breuib. rationis & ingenij noſtri limitibus non continetur. Cum illis autem dicaculis, quos aiebam, neq; hic locus eſt altercandi: neq; faciendum omnino iudico, vt his de rebus diſputemus: cũ nihil ſtudio ſibi habeant, quàm vt omnes latratu morſibusq; impetant, quorum ſermones conſuetudinemq; vitandam puto. Fuere autem qui, vt ego ſentio, aliquò ſanè vſq; in huius quæſtionis explicatione progrederentur: quorum dicta non ſint aſpernanda. Volunt enim illi non ſolùm fatale eſſe quid fiat, ſed etiam quo fiat modo: vt omnes res efficiantur fatorum quidem magiſterio, ſed certa ratione, & quaſi arte ſingulæ, de ijs quas ſuprà propinquas cauſſis nominauimus. Nam hæc fataliter copulata ſunt, neq; diuelli poſſunt. Ita non fruſtra, Multa tulit fecitq; puer: ſed finẽ hoc itinere fatale fuit contingere: voluntate inquam diſcendi, patientiaq; laborum. Non ſinent interire aliquem fame fata: cibos ſuppedi-

tabunt

tabunt etiam illi, quibus vitam sustineat. Multa similiter aliquis enumerarit. In bello enim, inter cædes ac vulnera, in pace, otio, quiete, in vtranq; partem fata viam inueniunt: quæ occultior interdum nobis & abstrusior, multorũ magnam admirationem excitare solet. Ad illud verò de sceleratis quid respondeamus aliud, quã quod elegantiss. versu dicitur,

Non refert scelus vnde cadat, scelus esse fatẽdũ.

Neq; enim ideo minus contra inq; feras armamur, quòd sint ad nocendum productæ: nec quia non nisi damnosæ esse possint, ideo veniam illis facimus rabiei & impetus in nos & res nostras. Sic ergo scelerati etiam ad supplicia fatis rapiuntur, cùm ipsorum improbitas impunita esse nõ debeat, eáq; peste placeat terras exonerare. Neq; qui tales sunt, minus odij, ac potius multo plus merentur, quod creati ad scelera videantur. Multo dici plura poterant, cur minimè vllum flagitiũ improbitatisq; opus excusabile esse possit: sed nunc hoc non agitur, & iam olim est ab alijs actum, nostrisq; temporibus penè immodestè exquisitũ. Veniamus igitur ad prædictiones, vt nostris cancellis includamur. Quid illæ sibi volunt? Si

Fata regunt orbem, & certa stant omnia lege.

Quid nisi (quod inquiunt ij, quorum suprà sententiam in hac parte non spernẽdam diximus) illas

illas eadem vis fati exprimit, quæ consecuturos casus? Vtq; rubor, qui supra cutem exulceratã extumescit, ab eadem origine venit, à qua & vlcus, ipse index & quasi antecursor illius: ita præsignificationes ex ijs quæ ventura sunt quasi (vt ita loquar) protuberant. Cæterùm quibus prodesse debeant, vtiles: quibus non debeant, inutiles, aut etiam detrimentosæ sunt. Herodotus *scribit, vnum ex proceribus* Persarũ Thebis *hospiti suo lacrymantem narrasse: non ignorare se & plerosq; principes* Persarum, *in* Græcia *sibi moriendum, sed rapi fatis ad exitiũ.* Hanc *persuasionem quantum in animos censetis illorum desperationis & vecordiæ infudisse?* Non'ne *autem & ille apud* Maronem *prius omine & significatione cædis vincitur, quàm ab hoste?* Nam *ibi, vt scitis,*

Illi membra nouus soluit formidine torpor,
Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæsit.

Itaq; his verbis Aeneam *compellat, exultantem victoria:*

—Non me tua feruida terrent
Dicta ferox, di me terrent, & Iuppiter hostis.

At ille postea victor, quantum animi speiq; concepit de promisso signo victoriæ, vt iam tũ, quamuis ab auxilijs imparatus, cùm contra se totã Italiã in armis esse sciret, nõ tamẽ dubitet hostibus minari, tanquã haud dubiè superior:

Quas pœnas mihi Turne dabis, quàm multa sub vndas
Scuta virũ, & galeas, et fortia corpora volues
Tybri pater.

Quanta alacritate in singulare certamẽ prouocat Hector, qui inter principes Græcorum sit fortiss. postquam crediderat Heleno interpreti deorum, non esse fatale sibi ea in pugna occũbere? Quem autem non erigat, confidentemq́; faciat, opinio auxilij & præsentiæ numinis, aduersationis verò aut desertionis deijciat? Terrentur ergo, & franguntur homines mirificè præsentione mali & boni, consolatione & spe cõfirmantur. Neq; sunt illæ superuacaneæ. nam indicatione boni homines seruari & stabiliri, mali verò perdi et cõuelli solent. Ita ipso fatali cursu instituto & procedente, iam ipsam præcognitionem venturorũ malorũ salutarẽ multis fuisse cõperimus: Qui moniti, aut impẽdentia infortunia subterfugerũt, aut prouisa præmeditataq́; sunt experti leuiora. Repentina enim, & inopinata omnia profectò grauiora sunt. Itaq; ille queritur, cùm aliæ obeundæ miseriæ ab Heleno essent prædictæ sibi, non etiam fuisse paternam mortem:

Nec vates Helenus, cũ multa horrẽda moneret,
Hos mihi prædixit luctus.

Sed quomodo subterfugerunt, quæ omnino ventura

ventura erant, & quidem immutabiliter? Sic inquam, quia fatale etiam fuit hoc modo, id est, prouisa præcogitataq; cauere. Neq; aliter euadere, quàm si quasi ingruentem longè tempestatẽ prospexissent de montis vertice. Eam ob rem, sicut eadem esca sanis & febricitantib. non idem sapit: ita eorundem malorum indicationes alijs in bonum, in malũ alijs conuertunt. Quod quidem ipsum quo hominũ merito aut scelere fiat, non potest, opinor, sic exponi, vt ab vllis intelligatur, qui quamuis sapientes sint, sed humano tamen more. Nam Deum his bene velle, illis malè, & conciliare sibi pietatem aliorũ, aliorũ à se voluntates & corda detorquere, nullã rationem videtur habere. Cur enim faciat, quid afferetur? Nam quod verum est, & apud Sophoclem dicitur,

Deum bonos diligere, habere odio malos:

Non satis complectitur explicationis. Nam secundum ea quæ diximus, oportet, quales quiq; sint, tales à Deo factos & creatos esse, vt ipsum opus suum aut amplecti, aut abijcere sit necesse. Quæ igitur nostra est culpa? aut quid ille ludit? Quid've dubijs & obscuris rebus nos solicitat? Hæ sunt illæ tenebræ. Nam quis hic satis, imò quicquam videat, humanis quidem oculis? Quid autem non accusant eorum quæ diuinitus fiunt, quæq; credunt facile fieri diuinitus

alij, alij saltem fataliter? Quid est eorũ inquã, quod non incurrat in aliquam offensionem, & indignationem mortalium? Quæ sunt querimoniæ hominum, quib. perpetuò accusant diuinã gubernationem? occidit in Troianis portis Achilles, directum telum interfectoris mater diuinitus credidit: quod nihil est aliud, quàm diuina voluntate cecidisse. Quas igitur exprobrationes iactet in Apollinem, qui mortis filij sui autor fuisset?

Qui prosperam sortem mihi optans liberûm,
Morbisq; longos omnibus vacuos dies,
Cùm meq; resq; diceret curæ meas
Dis esse, lætoq; celebraret carmine.
Persuaserat verè loqui, ista vt crederem,
Oreq; vatidico nihil falsi edere.
At nunc dapis qui nuptialis pars fuit,
Festumq; vocali diem hilarauit fide,
Post illa vota ipse interemptor extitit,

Quid est visum Theophrasto iniquius, quàm homini non longius vitæ spatium datum? Iam illi deploratores miseriarum conditionis humanæ, quid nisi accusatores sunt numinis? An non indignum, inquiunt, diuinum istud animal tot laboribus et aduersitatibus exagitari? Minimè, alius inquit: expediebat enim illis negligentiam & incuriam excuti,

Vt varias vsus meditando extunderet artes.

At illi,

At illi, Poterant'ne aliter, & durante (aiunt) aurea ætate, artes concedi? Quæ cùm ita sint, vt dixi, neq; vnquā sperari debeat probaturum nobis numen rationem & ordinem vllarum rerū: nos hinc discedamus, neq; grauemur omnia illius imperio & nutui permittere. Quod nō placet isti, qui molestè fert ignorantiam caussarū hoc efficere: cùm nobis quod ipse derideret, maxima & præcipua caussa sit omnium rerum, Dei creatoris & seruatoris à se factarum voluntas: qua posita, multum superuacaneæ sapientiæ excluditur. Sic non tam explicata proposita quæstione, quàm secreta & suspensa, in hac persuasione, quæ leuitatis crimine apud quosdam graues scilicet viros non carebit, vt proposuimus, ad exempla veniamus: quibus plurimis & concordibus ab antiquitate petitis, facile declarari posit, vt nihil eximiū, memorabile, magnū extiterit non antè designatum: ita illa quæ à cōmuni rerum prægressione & cursu deuiant, nunquā non habuisse aliquam futurorum præsignificationē. Sed nos de ostentis, id est, cœlestibus prodigijs (sic enim memini conuenire) in præsentia loquamur: neq; ijs omnibus, sed quæ huius modo generis, sint ad quod prox. visum pertinet. Referā igitur vobis nunc deinceps è veterū scriptis collecta exempla, quæ quasi testimonium dicant in hac caussa, nostramq; sententiam comprobēt.

Vnde etiam de consecuturo casu fortasse nõ minus certo statui poterit, quàm ex Astronomicis dogmatis, quæ & ipsa peperit multorum euentuum notatio & collatio. Et est ferè omnium horũ eadem, ac somniorum ratio, quæ tum demum rectè planeq; intelliguntur, cùm quod mo nuere, finem sortitum est. Si tamen multarum rerum notata conuenientia, & tanquam similitudo plurimum valet ad prudentiam & æstimationem futurorũ, nõ absq; fructu fuerit, tot harum rerum exempla collecta et nota habere. Persequar autem, vt dixi, illa ignium subitorũ, id est, traiectionũ, aut horũ paulò stabilium, qui cometæ vocantur, quicquid sanè, vndeq; sint vtriq;. hæc enim ad genus ostentorum, quod aiebamus, aggregantur. Ac percurram potius, indicatis ferè singulis temporibus, singulis memorabilibus casibus. Sentio enim me bene longum fuisse: & diei, quem placuit talibus fabulis consumere, non multum superest. Tum Mylius: Nihil tu quidẽ hac de caussa recides. omnibus enim nobis, vt pro omnibus loquar, hæc tuæ cõmemoratio gratißima erit. Et si enim nemo nostrûm est, quin poßit illa ex libris ipse conquirere: tamen iuuabit tuo studio collecta, quasi in prolata tabella vno intuitu aspicere. De die verò non est quod labores. Nam si ille defecerit, vel noctem assumas licebit. Quid enim

enim non tam lubentibus animis audiamus non inutilem sermonē, neq; defatigemur, quàm illi apud Homerum Phæaces, confictas nulla similitudine veri narrationes, solaq; suauitate conditas? Plurimum illa, inquam, ac penè dixerim omnia potest, Myli. Etsi vtilitatem te remouere non decet. Neque enim illis fabulosisq. vt tu vis, historijs, vllorum sapientum disputationes potiores meo quidem iudicio sunt ducendæ. Caue igitur illam eloquentiam, eruditionemq;, ac, vt planè dicam, diuinitatem conferas cum infantia, imbecillitate nostra. Sit sanè, vt dicis, inquit: sed tu quod cœpisti, nunc age, deq; his aliâs. Quod cùm idē & alijs videretur, tum ego: Ordiar, inquam, ab ijs temporibus, quorum res literis Græcis Latinisq; mandatæ extant. Ea sic satis longè remota erut. Sed priusquam incipiam, admonere vos lubet eorum quæ suprà dicta sunt de horum ignium significatione, quod malorum sit & calamitatum. In quo quidem omnium est eadem consideratio: quāquam de traiectionibus, vt vocant, illa mala leuiora sperantur,

Cùm varias ignis denso dedit aere formas,
Nunc iaculū longo, nunc sparso lumine lapas:

vt Lucanus cecinit. Cometæ verò maiorē multo terrorem incutiunt hominibus, & motum multiplicem: id est, pestilentiæ, inopiæ, bellorum. Nam hæc illi præcedunt, quorum tamen præ reliquis

ferè vnum intentius & grauius terras vrget. Quod si vultis hæc ipsa audire comprehensa numeris (ita enim fortè gratiora erunt) recensebo vobis Manilij locum, quo elegantiß. & copiosè describuntur. Annuentibusq; illis, ex libro primo de Cometis versus subiectos recitaui:

Nunquam futilibus excanduit ignibus æther,
Squalidaq; elusi deplorant arua coloni,
Et steriles inter sulcos defessus arator,
Ad iuga mœrentis cogit frustrata iuuencos.
Aut grauibus morbis & lenta corpora tabe,
Corripit exustis lethalis flamma medullis:
Labentisq; rapit populos, totasq; per vrbeis
Publica succensis peraguntur fata sepulcris.

Itemq; hos, qui paulò pòst sequuntur:

Quin et bella canũt ignes, subitosq; tumultus,
Et clandestinis surgentia fraudibus arma,
Extremas modò per gentes: vt fœdere rupto,
Cùm fera ductorem rapuit Germania Varũ,
Infecitq; trium legionum sanguine campos,
Arseruntq; toto paßim minitantia mundo
Lumina.

Quiq; item mox subijciuntur:

Ciuiles etiam motus, cognataq; bella
Significant: nec plura aliâs incendia mundus
Sustinuit, quàm cùm ducibus iurata cruentis
Arma Philippeos implerunt agmina campos.

Nunc ad exempla igitur vt accedamus, ex antiquiß.

tiquiss. est, iubar in cælo visum ante pugnā Tegeaticam, in qua Lacedæmonij ab Arcadibus victi fusiq; sunt, quam cladem illis etiam Epimenides prædixisse legitur. Fuit autem illa sanè nobilis victoria Arcadum, quam haud dubiè Lacedæmonij animis præsumpserant, decepti quidem oraculo, vt Herodotus scribit, cùm percontantibus de bello, huius sententiæ responsum datum fuisset:

Arcadiam poscis, rem magnam poscis, non do.
Arcadica multi vescuntur glande viri, qui
Pellere te valeant: sed nec tibi cuncta negabo.
Concedam Tegeæ saltu tibi plodere terram,
Funiculoq; leuis mensus distringere campi.

Aderant igitur promptis ad prælium capessendū animis Lacedæmonij singuli, cum pedicis, quibus hostes captos vincirent: sed ipsi capti vinctiq; in compedibus, ruris dimensa spatia Tegeatum colere adacti, oraculum quidem probauerunt, ipsi verò dederunt pœnas temeritatis suæ.

Iisdem temporibus & Hierosolymæ in Iudæa captæ sunt, & penè vbiq; imperia administrationesq; rerum concussæ. Post hoc ostentum inuenio cornutam stellam, id est, κεραττίαν apparuisse, ante pugnam qua ad Salamina & Artemisium classem innumerabilem Persarum deleuerunt Græci, post quam quidem victoriam, cū iam Xerxes in Asiam refugisset, & terrestres

copias, quibus Mardonius præerat, conciderunt. Postea sanè multis annis, quo tempore Lacedæmonij classe victi, imperium maris atque mox Græciæ amiserunt, trabes in cœlo emicuisse traditum est, & Solem visum Lunari specie, quasi in cornua rotũdari. Illis temporibus miserr. fuit Græciæ status, cùm eius principes ciuitates barbarorũ auxilijs sese mutuò impugnarent, & in perniciem suam accerserent hostes. itaq; defeßi exhaustis viribus paulò pòst prædæ fuere seruili penè nationi Macedonum. Paulũ supra ea tempora, id est, Olymp. LXXVIII. cometes in cœlo visus est, & lapis è sole ad Aegos flumẽ decidit: quod priusquam fieret, Anaxagoras futurũ prædixerat. Apparuit & cometes ante horribilem illam pestilentiam, qua Atheniensium ciuitas penè ad internitionem deleta est, vastante vrbem, agros, exercitus malo, annis duobus. Buræ autem, & Helices absorptionem & interitum, antecesßit terribilis ardoris fax, quæ in cœlo apparuit quasi flammea nubes, inq; duas partes discedere, & in diuersum abire visa est. Cũ mox illam ruinam Græcia fecit, Philippo & Alexandro eripientibus illis libertatis quamuis exiguas reliquias. Post illud ostentum annis XXXI. cœlum sanguineum incendium in terras spargere visum: & sequẽte anno hirci effigies conspecta, in hastam mutata est, quod semel omnino factum

ctum Plinius scribit. Eo tempore max. Philippus Græciam bello premebat, & concutiebat. quarum rerum historiæ notæ sunt. In quod incidunt & visi cometæ, quorum Aristoteles mentionem facit, Euthycla & Aristæo principatu Athenis fungentibus. De quibus tamen propter ignotam nobis seriem successionum magistratus illius, nihil possumus certi afferre. Supra hæc verò etiã aliquantum tempora, nisi fallor, Archelao in Macedonia rerum potiẽte, primùm modicus cometa apparuit, ac indies crescens, contra obseruatã illorum syderum naturam, inq; Septentrionem tendens, vbi lacteam viam attigit, in immensum iubar lucemq; diffudit, ita vt totum illius latitudinis spatium occuparet. Cæterùm dubitationis meæ caussa est, quòd illum regnante Archelao indiserté Seneca visum tradiderit: fueritq; Archelaus alius, postea sanè diu rex in Iudæa: quem quidem valde posse accipi, vel debere potius arbitror. Sed ad ordinem narrationis reuertamur. Aliquanto pòst, id quod in Romanis historijs est annotatum, nox interdiu, vt ait Liuius, visa incendi. Quibus temporibus in Italia cum Pyrrho et Samnitibus belligeratum est, & regna orbis terrarum collabi cœpere, successionibus confusis, & moribus corruptis mollitie & sceleribus extremis. Lucem item noctu obortam, idem Liuius scribit nuntiatum, L. Veturio Q. Cecilio

Cecilio Coſs. quod tempus non longè antecedit bellum Philippicum, cùm quidem oſtenta multiplicia extitiſſe ferunt. Interq́; ea cum horrendis cœli fragoribus & incendijs, inſulam erupiſſe non procul à Thera, quæ Hiera dicta fuerit. idq́; Sibyllinum oraculum præcinuiſſe:

Aſt vbi gens victis dominabitur Ilia Pœnis,
Cognita non magis exiſtent miracula fando.
Ignibus ardeſcet pelagus, penitusq́; micabitq́;,
Fulmineo in fluctus miſsis ex aëre flammis,
Miſta quibus Ponto figetur ſaxea rupes,
Et non nota prius caput inſula preferet, inq́;
Bello deterior ſuperabit turba ferocem.

Nam rebus Carthaginienſium acciſis, Romani Philippum, Aetolorum auxilijs vſi, ſuperarunt. quam victoriam Græcorum poëtæ Aetolis aſcripſere, illis ſocios Romanos adijcientes, vt ex Epigrammate quaſi epitaphio apparet, quod nos otioſi conuertimus. Sed pudet profectò, Heſſo præſente, meos vobis verſus inculcare. Tū Heſſus: Minimè, inquit, neceſſe eſt. Nam ego tibi in hac parte Poëticæ, quæ Epigrammata complectitur, video nonnihil tribui æquum eſſe. In vniuerſa enim, nunquam voluiſti elaborare. Rectè enim, ego, nunquam, quòd conſului vires meas. Nullum autem infœlicius eſt ſtudium, quàm occupari inutili & vano labore: qualis eorum eſt, qui in re non apta, nec congruente naturæ ſuæ, operam

operam ſumunt. Semper tu quidem hoc modo, inquit Heſſus: ſed quæſo illos verſus memora. Tum ego: Ita igitur, inquam, illi nobis autoribus malè quidem ſe habent:

Hic poſita eſt lacrymis caſſa, inferijsq;, viator,
  In buſto pubes Theſſala, quale vides:
Milia quæ Mars Aetolus ter dena cecidit,
  Atq; Itala auſpicium turba ſecuta Titi.
Heu dolor Aemathiæ: ſed ſpiritus ille Philippi,
  Audax hinnuleos tunc ijt antè fuga.

Anno autem pòſt, non ſolum nocte interluxiſſe, ſed facē etiam ſtellæ ſpecie ab ortu ſolis ad Occidentem porrigi viſam, idem Liuius refert. Atq; item anno pòſt, ſparſos primum ignes in cælo, deinde facem ingentem exarſiſſe. Quibus temporibus quæ cōfuſiones Imperiorum & Regnorum, quàm cruentæ & horribiles tradātur, cui eſt ignotum? Aſia & Aegyptus in cædibus & ſanguine natarunt. Quo licet apponamus, anno quinto pòſt viſum cæli ardorem, & rubedinem Solis: itemq; poſt hos tertio, in nocte lucem. Neq; ignoro, cùm hæc max. nocturna lumina certis in locis viſa memorentur, videri poſſe, nihil vniuerſalium caſuum potuiſſe complecti: ſicut neq; fulgur certè quicquam minatur vllis niſi prox. terris. Ita tamen induco in animum arbitrari, in certis quidem locis obſeruata illa eſſe: ſed nihilominus apparuiſſe alibi quoque, verùm non

anim

animaduersa, neq; notata, aut fortasse aliter visa esse. Neq; sit dubium mihi, quin, si quicquid harum rerum à veteribus memoriæ proditum est, extaret, ijsdem temporibus diuersiß. in locis mentionem talium prodigiorum factam reperturi essemus: neq; tamen non, vbi conspecta sint quoq;, quasi exierint, maximas potißimasq; vires suas exercuisse crediderim. Nos *verò conquirentes quæ vbiq; extitisse inuenimus, pergamus vt cœpimus, narrationem contexere. Sequitur igitur ille cometes, qui fulsit post mortem* Deme*trij* Syriæ Regis, *qui in acie interfectus, regnum cum vita amisit, relictis liberis* Demetrio & Antiocho. Quorum Demetrius, *supposititio rege* Alexandro *pulso, regnum paternum aliquantisper tenuit, moxq; in* Parthorum *venit potestatem. Eum æquasse magnitudine solem tradunt, ac primùm claritate luminis ignei & rutilantis noctis tenebras dispulisse: paulatim verò splẽdore deficiente, defecisse subitò totum. Hæc tempora sunt euersæ vrbis* Carthaginiensis, & *in bellum* Achaicum *incidunt.* Atq; *haud scio, an sit hic ille sol nocturnus, visus* Scipione Aemiliano & C. Fuluio Coß. *quãquã etiam paulò superius sol noctu conspectus annotatur.* Inuenio & *ante* Teutonicũ Cymbricumq; *bellũ, facẽ in cœlo emicuisse.* Inuenio & Soles *plures, & die* Lu*nam cum stella, & noctu hiatus, clipeos, flam-*

mas visas. Sed insigniora placet persequi, quæ vtinam, vt sine dubio fuere, perscripta & annotata collectim & peculiari argumento haberemus. Optare, inquit Mylius, impunè licet. Illi tamen, qui temporum hominumq; iniuria cum alijs multis libris interciderunt, reuiuiscent nunquam. Multa creduntur, inquã, perijsse, vt paulò antè credebantur, quæ latent. Sed certè quicquid desideratur, pro amisso est. Sparsim igitur quæ inuenimus percensendo, tendamus ad finem orationis. Sub bellum Italicum, & Ciuile, quod gessere Marius & Sylla, faces, clipei, globiq; ignei apparuere. adq; hæc pertinent & cometæ bello Octauiano visi, magnarum calamitatum, vt Cicero ait, prænuntij. Neq; longè consecuta sunt illa ostenta, quæ rerum Romanarum euersionẽ præcesserunt: Catilinariam inquam coniurationem, & Cæsaris regnum. In quæ tempora & Crassi legionumq; cædes includitur. Horum & M. Tullius mentionem fecit prolixè in Pronosticis suis versibus, sicut notũ nobis est ex libro primo Diuinationum & Lucanus scribit vidisse

–Ignota obscuras sydera noctes,
Ardentemq; polum flammis, cœloq; volantes
Obliquas per inane faces: crinemq; timendi
Syderis, & terris mutantem regna cometen.

Quibus apponamus illam crebritatem ostentorum, post interfectum C. Cæsarem. Negat enim,

vt sci

vt scitis, Maro, aliâs vnquam cælo
Cecidisse plura sereno
Fulgura, nec diros toties arsisse Cometas.

Apud Plinium quidem legitur, XI. hora diei crinitum sydus visum ludis, quos Veneri genitrici faceret Cæsar Octauianus. Id faustum terris fuisse putat:

Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.

& multæ aliæ calamitates inuaserunt. Neque non adiecerim coronam, & versicolorem circulum, solem ambietem, Octauiano Cæsare vrbem in prima iuuenta intrante, post obitũ patris, ad nomen ingens capessendum vt Plinius ait. Sequitur pertinax in multam noctem lux, quo ostento mors Tiberij significata creditur. Et cometes, qui ortus putatur portendisse Claudio exitium: paulò enim pòst & vitam & imperium amisit, veneno, vt suspicio fuit, necatus. Cui cùm Nero successisset, huius etiam principatu cometes effulsit: quem, cur his stellis infamiam detraxisse Seneca scripserit, nisi discipulo assentatus est, vt dixi, non video. hic, vt idem scripsit, sex mensibus fulsit. His temporibus Iudæa vastata, & suprà quàm vlla oratione exponi posit, fame, bello, pestilentia exhausta, quasi vacua possessione Rom. cessit. de quibus cladibus copiosè Iosephus perscripsit, qui etiam cùm alia prodigia

prævia

præuia tantorum malorum annotauit, tum incredibilẽ penè lucem cometæ, quæ anno toto perseuerauerit: ensemq́; supra Hierosolymas flãminomum, & noctu flãmam, qua diei claritas repræsentaretur, exortam. Romæ etiam post Neronis mortem, crebris successionibus res turbulẽtæ fuerũt. Post hæc equidem proximè cùm intercessisse multa credam, ostentum inuenio ardorem cœli principatu Comodi M.F. paulò antè bellum Desertorũ, quod duce Materno in Hispania excitatum, peruagatumq́; Gallias, Italiam quoq; concußit. Sunt etiam tum interdiu stellæ cõspectæ: et pogonias apparuit, id est, sydus laxũ prolixitate, vt Herodianus scribit. Paulò pòst, ante obitum Pertinacis, stellæ cum Sole visæ. Itemq́; stella die conspecta, & circulus Solem ambiens natali Alexandri Mammeæ F. non paruo pòst tempore: siquidẽ inter Maximini principatum, & Constantini, intercesserũt anni non pauciores C X X X. Cometen insolitæ magnitudinis, priusquã moreretur Constantinus, scribunt aliquandiu fulsisse. Honorij deinde & Theodosij principatu, & Sol defecit, X I I I I. Cal. Sextil. & cometa visus vsq; ad mensem Septembrem, quando barbarorum incursionibus discerptum fuit Romanum imperium, plenusq́; orbis terrarum tumultibus. Non diu pòst, diem suum obijt Hieronymus, præclarus Christianæ religionis

doctor.

doctor. Mox sub amißionem Italiæ, & occidentalis Imperij interitum, illasq; Rauennates successiones, et ominosum Augustuli nomē, non vniusmodi prodigia extitere: inter quæ & cometes memoratur. Terra igitur hominesq; lacrimabiliter moti. Neq; diu pòst, Attila mortuus est. Iisdemq; temporibus Venetiæ vrbis, in ora Adriatici maris, à conuenis ex Ticino, Mediolano, Patauio, fundamenta iacta traduntur. Anno Imperij Iustiniani XIII. mense Decembri, cometes in Sagittario visus: tum in Italia cum Gotthis belligeratum, quæ tādem gens à Narsete auxilijs est Longobardorū extincta. Ab hoc annotatur proximè cometa, et quidē geminus, sub Leone: quod tempus in Francis ferè Pipinorum est. Fuereq; tum omnia bellis & motibus referta. Pestilentia etiam illa est secuta, qua Constantinopoli tercētena M. hominum ferūtur interijsse. Supra quæ tēpora, regnāte Mauritio senis mensibus, cometen visum memorant. Atq; illa ætate natus est Mahometa, Saracenici regni conditor: qui sub Heracleo sese protulit, obscuro & ignobili loco editus, ad tantam cladem religionis & virtutis, vt ferè consentiunt, post Christum Seruatorem genitum, ann. DCXXI. quod tēpus in notationibus annorum Arabes sequuntur. Sunt qui scribant, illum in adolescētia camelos diuitis mercatoris Arabis pauisse, neq; vnquam, quam-

libet

libet ſereno cœlo, non atram nubem ſupra ipſius caput aſtitiſſe. Continent hæc tẽpora & illã expeditionem Perſicã, cum Hieroſolymæ à Choſroe captæ fuere. Mortuo Arenolpho, ante illam Imperij deſertionem, cum Francis ſua regna tuentibus, Italia Berengarij potirẽtur, & incurſionem Vngarorum Saracenorumq; in Italiam, ſingulares micationes & diſcurſus ſtellarũ viſi ſunt. Pòſt deinde Othone Henrici F. in Germania, in Italia regnante Lothario, Sol per aliquot dies ſanguineus & cometes viſus: & peſtilẽtia ſubſecuta eſt, et Italiæ imperium Otho recuperauit. Sub Imperatore primo Henrico, cometã in meridie apparuiſſe ſcribunt, poſteaq; famem & peſtilentiam penè per totum orbem terrarum extitiſſe. In Romana religione tum miſeræ etiam ac perniicioſæ turbæ & diſcordiæ fuerunt, Benedicto Pontif. per contrariam factionem eiecto, & mox recepto: quod quidem mortuo Henrico factum eſt. Tum Mylius: Noſtróne, inquit, qui Bambergenſe collegium inſtituit? Ita, inquam. nam is ex Bauaria ad Imperium accitus, quia ſolenni more à Romano Pontif. corona donatus eſt, Imperator nominatur: cùm is qui ante eum fuiſſet, Othonis pater, quia in Italiam nõ venit, Rex, non Imperator dicatur. Paucis etiam ante Imperatoris mortẽ vel mẽſibus vel annis, menſe Sextili, hora diei tertia, Solem circulus incluſit,

per quem quatuor trãsire lineæ furcatim visæ. Et Coratus destinatus ab ipso etiã Henrico successioni, post biennium demũ ad Imperium peruenit. Est & ante hunc Imperatorem, primùm per electionem creatũ, cometes visus, qui ingentem quoq; attulit terræmotum. Henrico etiam Quarto, siue sanè Tertio, adhuc in matris quasi tutela adolescẽte, crinitũ sydus apparuit. Cuius quidem tẽporis calamitosiss. cõsecutionibus enumerãdis, copiosa oratione opus futurũ sit. Quid enim tum omnibus in terris miseriæ non sensit humanum genus? aut in quem ordinẽ non sæuijt ingẽs aliquod infortunium? Quorum sanè propiora magis nota nobis sunt. Nam quis nõ tenet & execratur Pontificias fraudes & vesanias, quibus à Gregorio in Imperatorem factus impetus, quibusq́; post deuictum Rodolfum contra ipsum filius armatus fuit? At in Græcia & Syria sanguine omnia inundata sunt. Fuit etiam illa tẽpestate, vt vix vnquam, ostentorum crebritas, lampadum, trabum, iaculorum, atq; adeò cometarum. Quorum vnus maximè cõspicuus, igniuoma luce & crine cruento in occasu arsit. Tum Petri duo, autoritate Põtificia, literisq́; instructi, diuersa ratione pari successu innumerabilem multitudinem breui coẽgerunt: qua alter copias Gallorum cõtra Saracenos ductas à Godefrido auxit, alter in oppugnationẽ Iudæorum

est

est visus. Neq; vulgus tantum sub signis ducebat: iam enim multitudo exercitum confecerat, & ad vexilla conglomerato agmine incedebat: sed Principum etiam virorum potentiam sibi adiunxerat. Itaq; Iudaei vexati, & rebus bonisq; exuti, trucidati insuper ad internitionē, in Germania penè deleti fuere. Constat V.M. Moguntiaci caesi, alijsq; in locis innumerabiles. Aliquot annis pòst, stellam crinitam visam annotarunt, tribus amplius mensibus. Quae qua nocte cerni desierit, mortuum quartum Vrbanum P.R. In Syria tum res turbulētae & aduersae nostris fuere. Bondacar Babylonius Antiochiam vi expugnauit. Poeni Hispanias vexarūt. In Italia item magni motus, Manufrido & Coratino victis ac interfectis. Nec secius in Africa, mortuo Carthagini bene gesta re Ludouico. Nec in Germania res Imperij satis expeditae fuere. Post hanc annis circiter XL. cometes visus mense Aprili. In Gallia seditiosè tumultuatum: & pestilentia horribilis orbem terrarū vastauit. Mox à Christo Seruatore nato, anno M.CCC.XIIII. & cometes mensibus penè tribus, & tres Lunae visae. Nec desunt qui in hūc annum Septimi Henrici mortem referant. Qui max. rebus in Italia gestis, cùm de se omniū spem & expectationem singularem erexisset, veneno sublatus interijt, execrabili scelere Romanensium, à quibus, qui

illum necaret, subornatus fuerat. In Italia fames & pestilentia sæuijt. Anno à Christo nato M.CCC.XXXVII. sub illas Romanorũ Pontif. multiplices creationes, cùm semper alter alteri obijceretur, quas rex Sigismũdus aliquanto pòst composuit, cometa quatuor mẽsibus conspiciendum se præbuit, Inuenio etiam annotatum prius alterum emicuisse, quàm ille extinctus esset. Inuenio etiam tertio exinde anno apparuisse alium, itemq́; aliquot annis pòst alium, & creberrimas traiectiones obseruatas oculis mortalium. Quibus temporibus plurimum vbiq; calamitatis inuasit res humanas: inopia, pestilẽtia, cædes. In quæ incidit clades Gallorũ illa memorabilis, qua affecti ab Anglis fuere, potiente rerum Gallicarum Philippo, Anglicarum Edoardo. Incidit & dimicatio de Imperio inter Carolum & Guntherum: cùm hæc vrbs discessione plebis à patribus, & furiosa seditione quassata est. Pontanus refert, post hunc visum in Oriente cometen, antequã Tamerlanus fuderit ac cœperit PaiaZetum, neq; tempus indicat. Verùm is PaiaZetus fuit, qui Sigismundum Regem Pannoniæ, transgressum Danubium superauit, inq́; turpem ac detrimẽtosam fugam dedit. Neq; fuit tamen ea incruenta Turcis victoria. nã quamuis à Pannonicis proditi Teutones, non prius destiterũt omni vi se defendere, quàm circumuenti

omnib

omnibus à partibus, in potestatem hostium se tradere coacti sunt: Ioannes Dux Burgũdiæ, & huius vrbis Burggrauius, cum plurimis Francicis equitibus capti, inq; Asiam traducti fuere. Scriptũ reliquit ex Bauaris eques, qui inter tyrunculos affuit illi pugnæ, cùm debellatũ fuisset, PaiaZetum progressum in campum, vbi acies conflixerant, posteaquam tãtam suorum multitudinem cæsam aspexisset, ira furibundum, captiuos trucidari pasśim iusśisse. Esseq; vno die supra X. M. hominum interempta. Ipsum tanta victoria magnopere elatũ, ex captiuis reliquis Christianorum cõplures vicinis tyrannis, Babylonis, Persidis, Aegypti, Scythiæ dono misisse. At illum exultantem & quasi ebrium fortuna, aggressus Tamerlanus Scytha, cum à PaiaZeto in cõgressu Scythica quædã auxilia ad Tamerlanum transfugissent, iterato prælio victum, castrisq; exutum cæpit, & in catenis circumduxit, dum animi dolore exanimatus moreretur. Quia in harum rerum mentionem deuenimus, quod relatu incredibile & portẽtosum est, adijciam. Hoc conflictu in PaiaZeti exercitu, hominum M. decies & quater centena: in Tamerlani, ducenta M. amplius fuisse perhibẽtur. Ante huius etiam interitũ, cum quo Scythica res subitò in immẽsum aucta corruit, cometa effulsit. Post hunc fit duorum cometarum mentio, in-

ter quos annus interceſſerit, quorumq́; prior in Cancri & Leonis regionibus ſteterit, in Piſcium poſterior: menſe quidē Iunio viſus vterq;, priorem Orientalem fuiſſe affirmant. Secuta autem eſt & clades & victoria noſtrorum in Myſia. Turci totam Græciā ſubiugarunt. Terra multis in locis mota, peſtilentia ac fames ſæuijt. Aliquotq́; annis pòſt, Alfonſi regis morte Neapolis regno ad Ferdinandum nothum filium deuoluto, in Italia diu belligeratū eſt. Idibus Ianuarij Anni à CHRISTO *nato* M.CCCCLXXII. *cometes per menſem apparuiſſe ſcribitur, mirabili celeritate à Libra retrò per totum penè Zodiacum latus: cum initiò cōficeret curſu ſuo plus* XL. *partibus, poſtea verò C. viginti. Is peſtilentiam orbi terrarum immiſit. Tum etiam Huſocaſanus, Parthiæ & Armeniæ rex, cum Mahometa Turco bis conflixit, ita vt vtrinq; multis amiſſis viris & rebus, diſceſſum ſit. De quo, ſi placet, audite quæ Pōtanus cecinit. Quid ni, inquit Mylius, placeat, vt vnus reſpondeam pro omnibus? Sed videre Pontani magnus amator eſſe Ioachime, qui quidem memoriter illius ſcripta teneas. Sum profectò, inquā, ac maior quidem quàm tu ſuſpicere: cumq́; illius ſuſpicio ac admiror omnia, tum carminibus mirificè capior ac demulceor. Quæ dū lego, multi mihi verſus, non fœlicis memoriæ homini inhærere vltrò ſolent.*

lent.

lent. Sed ego hunc non solus, nec sine riuali amo. Hessus enim noster ardet eundē, mihiq; inuidet, qui tā fuerim oculatꝰ, quiq; minimè errauerim, aut falsus fuerim hac in parte. Quod facillimè accidere, si vnquam dubitatū est, neq; vetus Bucolicum verbum probauit: nūc certè planum fit, cùm maximè ridicula, quibus placeāt, inueniāt plurimos. Semper enim, inquit Mylius, plures fuere, futuriq; sunt. vt mali, ita etiam indocti. Sed quid illud est Bucolici verbi, quod aiebas hoc probare debere? Apud Theocritum, inquā, pastor quidam ita pingit alterum, qui Polyphemi personam susceperat agendam, vt immeritò dicat Galatæam formosiss. Naiadum deperire ipsum. At enim inquit: Quæ minimè sunt pulcra, ea pulcra videntur amori. vt Hessus interpretatus est: ne me Pontanum modò ediscere putetis. Benignè facis, inquit Hessus, cùm me quasi compa ras cum Pōtano. Tum ego: Quasi verò, inquam, imò certè. Sed dabitur melior aptiorq; occasio declarandi iudicij nostri. Nunc quia intelligo vobis contrarium non esse, Pontani versus recitabo:

Nam memini, quondam Icario de sydere lapsum
Squalentem præferre comam, tardoq; meatu
Flectere sub gelidum Boreæ penetrabilis orbem,
Hinc rursum præferre caput, cursuq; secundo
Vertere in occasum, ac laxis insistere habenis,

Donec Agenorei sensit fera cornua Tauri.
Ergo inter sese aduersis concurrere signis,
Hinc Turcas, illinc Parthorum examina vidit,
Euphrates belli medius: caput extulit alueo,
Armorum sonitu excitus, Mauortius Ister.
Vix vnquam maiore aliâs in prælia vētum est
Mole virûm, lati manarunt sanguine campi.
Horruit Oceanus, dum tot procul amne cruento
Versat Rhenꝰ agēs simul arma, virosq́; ducesq́;
Cognatos enses, atq; impia cominus arma
Sustulit, assuetis gaudens Hispania bellis
Obstupuit, gemuitq́; simul Maurusia Calpe,
Ingentes velorum alas, crepitantiaq́; arma
Oceano, & freta lata citis spumantia remis.
Mox Tingitanis sæuire incendia tectis,
Atq; amnes tabo squalere, & sanguine campos.
Non aliâs venti pelago incubuere tumenti
Maiores: non Aeolij Rex carceris vnquam
Sæuius infremuit, ruptoq́; immugijt antro.
Delituit ripis, imò & caput abdidit alueo,
Vndarum pater Eridanus: sitientibus amnes
Excessere antris, mœstæ et sine numine Nymphæ
Fuderunt nullos terra arescente liquores.
Interea nullus cœlo demittitur imber,
Arescunt herbæ paßim sitientibus aruis.

Tunc enim Alfonsus Rex Lusitaniæ ingenti classe in Africam traiecit, oramq́; Tingitanam adiecit imperio suo: & ad Danubiū cæsæ Tur-

corum

corum copiæ, pauloq́; pòst, iterum in Mysia. Et in Hispanis res inquietæ fuere, & Henricus Rex mortuus est, & in Celtis Carolus bello gloriam quæsitum iuit. Cæterùm quod de Virgine lapsum cometen hunc tradit Pontanus, quem nos de Libra diximus, non habet multum contrarietatis. Nā vicina sunt illa signa. Et ego sic sentio, nunquam vllos duos, ne plures dicam, de his syderibus eadem perhibuisse. Caroli etiam mortem, de quo paulò antè mētionem fecimus, cùm multorum sollicitudine & cura antecessit fax in cœlo visa: quod nobis, qui de patre suo adijsset (is enim apud Carolum fuerat) Pindarus amicus noster narrauit. Magnus autem & excellens in re militari Carolus fuit, & qui ægrè ferret ostentum ad suam mortem applicari. Dissuadentes etiam pugnam, in qua quidem equo in paludem inuectus perijt, fœminas, per contumeliam appellasse fertur. Præ cæteris autē admirabilem ipsius cautionem & attentionē domi forisq́; audio fuisse. Ex quo genere illud memorabile, quòd proceres, & potissimum duces satellitij, accedentes ad se, nunquam aliter salutarit, quàm impacto in pectora pugiunculo: cùm prædixisset, custodias semper armatas esse velle: non ignarus, quantum in bello cladis leuissima negligentia accipi soleret. Paratos igitur ad omnes illos casus esse voluit. Magnus illis tēporibus æstus torruit

ruit

ruit patriam noſtram, quo & ſyluæ ſuccenſæ ſunt: inter quas Hercyniæ XVI. M. paſſ. ſpatium deflagrauit, quod nemo veſtrûm eſt qui non (vt opinor) de patre ſuo audiuerit. & Beſſarion Patriarcha, noſtræq; patriæ immortalis gloria Ioãnes Regiomontanus, mortui ſunt. Abhinc autem annis XXV. ſtella crinita, niſi barbatã mauultis, ante mortem Philippi Regis, Maximiliani F. quam omnes videre potuiſtis, emicuit, ſub plauſtro ſplendidam & denſam, luce caudã trahens, & quaſi expandens intra priores & poſteriores rotas. In Aſia belligeratum inter Parthos & Turcos. Terra multis in locis mota. Conſtantinopoli regia ſedes corruit. Ipſe Turcorũ Rex diſcrimen vitæ fuga declinauit: innumerabiles autem ruina ædificiorum obruit. Paulò autẽ antè Franciſcanum tumultum & interitum, id eſt, hyeme hunc antecedente, haſta ab oriente ante ortum ſolis hora tertia viſa exire, ingenti luce et magnitudine præcipua, ſed ita vt eueſtigio nõ tam præterferri quàm euaneſcere videretur. Conſecutæq; ſunt illæ in Germania incredibili hominũ ſollicitudine & terrore nobilitatis concurſiones, quarum tamen quaſi ſtrepitus ſubitò conſiluit. Hoc oſtentũ, vt (quo modo veteres locuti ſunt) teſtem vobis laudemus, Philippus Melanchthon vidit, ſuaq; interpretatione ad res Franciſcanas aptauit: qualemq; illæ finem habuere,

buere,

buere tum prædixit nobis. His omnibus aſcribamus etiam hunc, quem nuper vidimus menſe Sextili, cometen, multis ſanè diebus non ſegni motu progreſſum à Leone ad librã vſq;, ſed euaneſcentem magnopere ſingulis noctibus. Tranſijt autem per Occidentalem plagã, vt à Michaelo dictum eſt, vtq;, quemadmodum Mathematicus noſter, vir citra oſtentationem doctiſs. obſeruauit, non minus confecerit diurno nocturnoq; itinere partibus, vel, vt ipſi nominant, gradibus IX. *minimè autẽ ſub ſignifero incedebat, vt ipſe nõ ineptè triplicẽ ipſius motũ tradiderit. cuius ſignificationis exitus, quòd in Occidẽte ſteterit, fortaſſe ſerius pateſcit. Sed aliquo modo iam poterit ſciri. Non enim quicquã melius hæc ſtella afferet, quã aliæ huius generis antè. Poſt quas, quia ſemper bella, motus, peſtilentiã, famẽ ſecutã audiuiſtis, quid dubitatis, quin ſimilia de hac quoq; expectanda ſint? Quæ vt ille, qui in hac ingenti vniuerſitatis quaſi naue ſolus clauum tenet, moderaturq; ac gubernat cuncta, mitigaret, votis precibusq; cenſerem expoſcẽdum: niſi metuerem, ne inter ſtrepitus facinorum nõ exaudiri poſſemus. Sed quamuis hominum ſcelera malum flagitent, nos tamen non deſinamus caſtis pectoribus & manibus in cœlum porrectis, petere bonum ab omnium rerum bonarum autore. Vt enim ille tam clemens non eſt, vt perpetuò contra*

tra se vesanientibus dare veniam velit: ita nec immitis adeò, qui suppliciter ad se, inq́; sinum suum confugientes, repellere soleat. Quod igitur superest, quando & satis disputatum, & tẽpus abeundi videtur, nõ spernentes has profectò iræ numinis indicationes pro nihilo pendamus, quid in humanũ genus moliatur Deus : *sed inter intenta immissaq́; etiam tela, cùm omnia lethum minabuntur, ad ipsius genua aduoluamur, pacem expetamus, si motus fortasse non recuset conseruare nos, misertus supplicum, ita vt receptos ad se tueatur & protegat ab omnibus capitis salutisq́; nostræ hostibus. Sicut in bello sæpe faciunt duces, vt eos qui inter cædes ipsorum opem implorent, defendant.* Et *Vlysses apud* Homerũ *ita retinuisse vitã narrat. sic enim ait:*

Tunc *ego nudatũ galea caput extuli, & ipsum*
Abieci *longè clipeum, manibusq́; repulsam*
Hastam *deposui, &* Regis *celer ante iugales*
Procubui, *et genib⁹ fixi obscula.* A*t ille misertus*
Inter *tela mei, currum conscendere iussit,*
Eripuitq́; *neci flentẽ.* Quanquã *vndiq; in vnum*
Vibrarent *hastas omnes, quas sanguine nostro*
Tingere *quærebant, sed me in tuto ille locauit.*

Quanquam *non ignoro esse, qui ad huiusmodi quasi terriculamenta pauentes derideant, inertesq́; ac indoctos vocitent, disputentq́; naturaliter existere.* De *quo quidem ipsi viderint, quàm*

natu

naturaliter: neq; enim repugno. Sed quia noster Michaelus docuit, consentire Astronomiæ peritos, nunquam non triste aliquid huiusmodi apparitiones excipere, & nos exemplis ostendimus rem ita sese habere: qui spernere volet, suo faciet periculo. Nos, vt dixi, operam dabimuus, vt pro nostra parte & virili modò placemus numen, exoremusq́; vt impendens malum auerruncet. Dabimus profectò, inquit Mylius, & quidem non inanem, vt, confido. atque his dictis consurreximus, & hospitem cùm domum deduxissemus, tum quoque vnusquiq; ad se discessit.

III. *Calen. Octob.* M. D. XXXII.

FINIS.